ALESSANDRINA

D f:25
D.f. 25
f 13

X·d·23·

Ca

IO. BAPTISTAE BARBETTI SALVTIARVM CIVIS EXCVRSIO.

De Triplici cauſarum Genere, ex Ariſtotelis, Ciceronis, & Quinctiliani doctrina. Adiectis in fine ſelectis ſententijs, ex Iſocratis orationibus de Regno adminiſtrando.

AD SERENISSIMVM

PHILIPP. EMANVELEM

ALLOBROGVM, ET ITALIAE SVBALPINAE PRINCIPEM.

ALESANDRINA



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Apud Stephanum Paulinum. 1601.

SERENISSIMO

PHILIPPO EMANVELI ALLOBROGVM, ET ITALIÆ SVBALPINÆ PRINCIPI.

Io.Baptiſta Barbettus Salutiarum Ciuis humilis ſubditus æternam ſelicitatem.

CVM præpotentis Dei munere effectum ſit, Sereniſſime Princeps, vt Marchionatus Salutiarum, patria mea, poſt multa bellorum incommoda, quibus veluti contrariorum ventorum turbine actus exarſit, ac fermè perculſus, & proſtratus iacuit, tandem, compoſitis litibus, exacto Marte, te verum Principem, ac dominum benigniſſimum agnoſcat, & iucundiſsimo pacis otio perfruatur, humilis ipſe, ac obſeruantiſsimus ſubditus tuus, aliquam incredibilis lætitiæ perceptæ, quòd talem Principem verę religionis ac pietatis

cultorem Deus nobis ſingulari fauore conceſſerit, eximiæq. obſeruantiæ declarandæ occaſionem quærere ſtudui, cum eiuſmodi officium, nec nudis verbis, nec per alios, quibus ea iampridem innotuit, perſoluendum videretur. Præbuit tandem eam mihi libellus hic de triplici cauſarum genere, in quorundam adoleſcentulorum gratiam, quos manſuetioribus diſciplinis erudiendos ſuſcepi, ex electiſsimis in doctrina dicendi auctoribus quàmbreuiſsimè collectus; quem ad te iuſtiſsimis de cauſis mitto, tùm vt ſingularem ſubditi tui obſeruantiam apud te teſtatam relinquat; tùm vt ex obſcuro domicilio prodiens, ſub auguſtiſsimi nominis tui patrocinium receptus, alacrior per hominum manus euolet, & lucem non reformidet; tùm etiam vt Pedemontana iuuentus, eodem tempore, & totius Rhetoricæ breuiſsimam excurſionem habeat, & quem ſibi ætatis noſtræ præclariſsimum decus & ornamentum ad imitandum proponat, longè maiores ac vberiores ex eo fructus, quàm ex libro perceptura: natura ſiquidem ita comparatum eſt, vt ingenia multò facilius exemplis capiantur, & erudiantur, quàm præcepti

& ver-

& verbis. Te enim omni virtutum genere, non modo quantum ætas ipſa ferre poteſt, ſed ſupra ætatem excultum, ipſo oculorum coniectu, & perſpicit, & audit; cum eam parentis præſtantem educationem nactus ſis, cuius ſingularem domi, forisq. ſpectatam virtutem, non iam Italiæ finibus coercitam, ſed etiam in remotiſsima orbis terrarum loca longè lateq. diffuſam, omnes ſatis admirari, laudibusq. illuſtrare non poſſunt; vt tibi celeriore curſu ad laudabilium morum virtutem, quam annorum ad ætatem contendere neceſſe fuerit. Laudes tuas ſilentio prætereo, tùm quia, ſi eas recenſere vellem, ne minimam quidem illarum partem mihi attingere viderer; tùm ne graues, ac prudentes viri mihi vitio vertant, quod eum Principem laudare velim, cuius præſtantes laudes vbiq. locorum celebrantur. Hoc tantum dicam de ingenij tui præſtantia, ita ab omnibus ſtatutum eſſe, vt, ſi tantorum nominum, Philippi ſcilicet, & Emanuelis ſplendore illuſtratus, illorum quoque, vt feliciter cœpiſti, veſtigijs inſtiteris, præmium virtutis tuæ, ſupremos orbis terrarum honores, quàmcelerrimè ſis conſequuturus. Ex-

tremum illud eſt, Sereniſsime Princeps, vt ſummis abs te precibus contendam, vt leuidenſe munuſculum, quod tibi ab humillimo, & obſequentiſsimo ſubdito ſummæ obſeruantiæ non obſcurum offertur argumentum, læta fronte ſuſcipias; patrocinij tui vmbræ aſsidere permittas: quoniam, dum felicioris ingenij homines maiora moliuntur, ego, quantum in me eſt, ſupplex enixèq. Deum, qui te, fratres, ac ſorores Principes Sereniſſimos diù nobis feliciſsimè conſeruet, deprecabor.

HVMANISSIME LECTOR.

DE triplici cauſarum genere, ex Ariſtotele, Cicerone, Quintiliano, & alijs breuiſſimam excurſionem collegi, idq. eo tantum conſilio, vt apud nobiliſſimos adoleſcentes Manfredum Auguſtum, & Alexandrum Scaliam, quos mihi humanioribus litteris erudiendos Illuſtriſſ. D. Philibertus Gerardus Scalia Comes Verrucæ, & pro Sereniſſimo Sabaudiæ Duce, apud Sanctiſſimum D. N. Clementem VIII. Orator vigilantiſsimus, pater illorum tradidit, veluti Cimmerijs obducta tenebris, lucem nullo modo aſpectura iaceret, cum in ea nihil ingenij mei, præter exiguum quemdam ex alienis ſtudijs laborem, eſſe intelligerem. Verum cum obiter in amicorum manus inciderit, ij vel ſtudio in me ſuo adducti, quod ſæpè efficit, vt, quæ parua futiliaq. ſunt, maxima eſſe videantur, vel quod ex ea aliquem perce-

ptum iri fructum ſperarent, ſingulari à me ſtudio contenderunt, vt eam communi profuturam commodo in lucem prodire ſinerem, quibus cum deeſſe non poſſem (quantum in me eſt) à ſententia deductus ſum, non quidem, vt aliquam ex hoc me laudem aucupari putarem, cum multo plures fore exiſtimarem, qui, cum legerint, reprehenſuri potius, quàm commendaturi ſint; ſed vt illorum voluntati in re præſertim tam honeſta ſatisfacerem. Quare, tu, quæ tua erit humanitas, operis paruitatem ne aſperneris, & ſi quid animaduerſione, & cenſoria nota dignum in eo perſpexeris, propenſiſsimam meam de adoleſcentibus, & amicis benemerendi voluntatem æqui boniq. conſulito.

Aucto-

Auctoris ad Librum.

Exi parue liber tacitus, mordebere namq.:
Carpere Doctiloquos lurida lingua ſolet.

Ad Detractorem.

Vipereo innocuos mordes quid dente libellos,
Et nigra ingenij lumina nube premis?
Inuide quin ceſſas? nihil hic, quod carpere poſſis,
Diſplicet, i, nemo deneget, ede nouum.
Sed ſcio, præclari refugit te cura laboris.
Et turpi manis viuere deſidia.

Eiuſdem ad librum: Liber loquitur.

Me legite, & videar plus docto Amphione forſan
Maior, Arionia, Threiciaq. lyra.
Illa licet ſeptem reſonans diſcrimina vocum
Duceret, auritas ad ſua verba feras.
Namq. ego, dum linguas acuo mortalibus, Orpheos
Efficio multos, credite, Threycios.

AD SERENISSIMVM

PHILIPP· EMANVELEM SABAVDIAE, ET PEDEMONTII PRINCIPEM.

Balthaſſar Rotarius Sulciarum Comes, I. V. Candidatus.

REgia progenies; forti cui pectore ſeruat
Carolus Allobrogū debita ſceptra Pater.
Quę meritis laus ęqua tuis, q̄bus indole rara
Te ſimilem magnis iā prope reddis auis?
At quondam vinces etiam cum grandior ętas,
Et decora augebis patria luce tua.
Hoc iam nunc virtus ſpondet maturior annis,
Quęque animo in tenero docta Minerua ſedet
Sic tibi longa neant concordes ſtamina parcę
Longæuo & ſuperes ſerior ipſe patri.

In Auctoris commendationem. Balthaſſar Rotarius.

Lactea dum firmas Romana munera lingua,
Rhetoricesq. nouas ſuggeris auctor opes.
Dicitur auctori facundia Romula grates
Tam bene doctiloquis explicuiſſe modis.
Et Vatum teſtata fidem, ſuperumq.; hominumq.
Vouiſſe aeternis carmina plura notis.
Vt quoniam Latiae renouas primordia linguae,
Millia laudatum carmina nomen ament.

Eiuſdem, in operis laudem.

Scriniolum gemmisq. rigens, auróq. coruſcum
Optandum Gazas Perſidis inter erat.
Cui bene ſeruentur ſudata balſama ſyluae,
Totaq. Achemeniae meſſis odora plagae.
Pellaeus tamen hoc heros inducit in aurum,
Iliada, & longum claudit Vlyſſis iter:
At mihi ſi quid Arabs, vel det pretioſius Indus,
Vilis adhuc tuus hoc tegmine Rhetor erit.
Vt digne maneat, mentem ſuccedat ad imam,
Vix animus magni Rhetoris arca decens;

Dominici Ancaiani Epigramma.

Quiſquis ab aſſiduis expreſſa volumina curis
Doctrinæ profert pignora cara ſuæ.
Hic latas populo leges, illa abdita pandit
Naturæ, eſt mores quem docuiſſe iuuet.
At triplices cauſas tu libro amplecteris vno,
Sub quibus eloquij lumina quæque nitent:
Huc quoque ſcriptorum uarium genus omne refertur;
Nec cuiquam hos fines tranſilijſſe licet.
Quo cuncti proprios ornent Barbette labores,
Ingenium vires præbet, opemq. tuum.

Hieronymi Calicis, Romani, Epigramma.

Maiori rapidos impellat murmure fluctus
Allobrogum Rhodanus, qui ſecat arua ferox.
Illius egregius terræ Barbettus Alumnus
Edit ſcripta, patris quæ Ciceronis olent,
Doctaq. dat teneræ præcepta colenda iuuentæ;
Quæ triplici doceant enituiſſe foro.
Hinc, quibus eloquij continget ſumere vires,
Non minus hoc dicent, quàm Ciceronis opus.

Thomæ de Federicis, Romani, Epigramma.

Quis laudet doctos vmquam Barbette libellos,
Ingeniumq. tuum tollat ad aſtra ſimul?
Salluſti hic breuitas, clari facundia Marci
Cernitur, & puri Cæſaris ora ſonant.
Iam tibi, iam triplices debentur iure corollæ,
Quæ cingant doctum flore nitente caput.

In Auctoris, & operis commendationem.
Claudij Fabri Epigramma.

Aurea Rhetorica tradentem dogmata librum
Aſpiciens Phœbi, Pieridumq. chorus,
Ergon, ait, rurſum, mundi vergente ſenecta,
Vallibus Elyſijs venit Ariſtoteles?
Cui Phœbus, magni poſtquam germana Philippi
Felici thalamo principis Allobrogum;
Rurſus Alexandri ſpirantem facta Philippum
Edidit, æternum qui decus addat auis.
Quis digne tanti formabit principis aures,
Ni nouus hic terris ſurgat Ariſtoteles?

Ad Sereniſsimum Philippum Emanuelem
Subalpinorum Principem.

Renati Fabri Epigramma.

Mollia flexanimis manantia verba labellis,
Et fera ſanguineo dextera Marte potens,
Pellæum iuuenem media fecere iuuenta
Captam Aſiam Europæ finibus adijcere.
Illud Ariſtoteles teneræ inſtillauerat auri,
At natura ferox, & genus arma dabat.
Corpora ceſſerunt armis, facundia mentes
Subdidit: hinc Magni nomen ab orbe tulit.
At tibi Alexandri veſtigia magna ſequenti,
Imperio Alcidem quem pater optat Atlas,
Regius arma dabit ſanguis, Martemq. ferocem,
Hoſtica queis victor ſub pede colla premas.
Aſt vti proſtratas etiam facundia gentes
Erigat, & ſceptri lenis ineſcet amor.
Hic dabit eloquium, liber hic tibi fulmina linguæ,
Imperio vt ſubdas arma, animoſq. tuo.

DE

DE PACE CONSTITVTA

INTER GALLIAE REGEM, ET SABAVDIÆ DVCEM.

MDCI. MENSE MARTIQ.

Io. Baptiſtæ Barbetti Salutiarum Ciuis Auctoris. Allegoria.

DEpoſitis bellis, compoſta Pace Garumnæ,
Et Rhodano, hos viſa eſt Gallia ferre ſo-
Ite meę lymphę, mea flumina currite lęta. (nos:
Pacatis vndæ fluctibus ite meæ.
Sat tumuiſſe fuit, vaſtos mulcete furores,
Littoris irati ponat & ira mei.
Clementis ſic ſceptra iubent, cui flumina faſces
Cuncta ſuos ſubdunt, quę colit vnda maris.
Oenotrij dum ſceptra tenet clementia Regni,
Turpe eſt belligeri bella ciere Dei.
Dixerat, & ſæuos fluctus poſuere Garumnæ,
Et poſitis Rhodanus mitior iuit aquis.
Tum quoque commotos viſus cōponere fluctus
Eridanus, ſceptri & ponere iura ſui.
Nec dedignatus fluuiorum ſubdere Regem
Se Rhodano, aut Regni ſceptra petita dare.
Scilicet Allobrogum fuit hæc victoria Regis,
Hoſtibus inuictum cedere poſſe ſuis.

Sic

Sic igitur numquam ſoluendo fœdere iuncta
Currite belligeris non agitanda notis.
Sic ſemper viuant concordi fędere Reges,
Seu tuus Eridanus, ſiue Garumna tuus.

DE TRIPLICI CAVSARVM GENERE.

CAVSARVM genera tria tantum ex auditorum numero, ad quos omnis refertur oratio, Ariſt. 1. Rhetoricorum colligit, Demonſtratiuum ſcilicet, Deliberatiuum, & Iudiciale. Hoc modo, cauſæ coram auditoribus aguntur; ij vero, aut tantum auſcultatores ſunt, aut diſceptatores, qui de eo quod tractatur ſententiam ferre poſsint: ſi auſcultatores, de Oratoris facultate, & ingenij præſtantia iudicantes delectationem quærunt; ſi diſceptatores, aliquid ſtatuunt, aut de præteritis, vt iudices ſolent, aut de futuris, vt qui deliberant; & ita tria tantum cauſarum genera, vel rhetoricæ ſpecies exiſtunt, vnum quod ad auſcultatores pertinet, & à Cicerone exornatio appellatur, quod in eo, qui rerum geſtarum gloria floruerunt, dignis exornentur laudibus. Alterum quod ad Iudices ſpectat, & Iudiciale nuncupatur. Tertium vero in quo de futuris ſtatuitur, & deliberatiuum dicitur. Quam ſententiam Quintilianus, libro 3. Inſtitutionum Orat. ſequutus hæc eadem tria cauſarũ genera venuſta diſtributione collegit. Hoc modo mihi

cuncta rimanti, talis quędam ratio ſuccurrit, quod omne oratoris officium, aut in iudicijs eſt, aut extra iudicia. Eorum de quibus iudicio quæritur, manifeſtum genus eſt: ea quę ad iudicem non veniunt aut præteritum habent tempus, aut futurum: Præterita laudamus, aut vituperamus, de futuris deliberamus. Item omnia de quibus dicendum eſt aut certa ſint neceſſe eſt, aut dubia. Certa, vt cuique eſt animus, laudat, aut culpat: ex dubijs partim nobis ipſis ad delectationem ſunt libera, de his deliberatur, partim aliorum ſententiæ commiſſa, de his late contenditur.

In vnoquoque genere duo ſunt fines, alter qui ad genus ipſum pertinet, alter qui ad motus animorum adhibetur.

In Demonſtratiuo genere, finis qui ad ipſum genus refertur eſt honeſtas; nam qui laudant, honeſta facta celebrant; quod ſi quid vtile, aut iuſtum eſſe factum dicunt, id ea de cauſa faciũt, vt honeſtatem ac dignitatem eius, quem laudant, amplificent, & ita ad honeſtatem omnia referunt, quod Cicero in partitionibus expreſſe docuit: omnia enim ſunt profecto laudanda quæ coniuncta cum virtute ſunt, & quæ cum vitijs, vituperantur. finis vero qui ad motus animorum accommodatur eſt delectatio, nam cum ij qui audiunt Oratoris tantum ingenium admirentur, debet Orator totis viribus contendere, vt maximam auſcultatorum animis delectationem afferat.

In

In Deliberatiuo genere, finis generis eſt vtilitas, vt ſuo loco videbitur; finis verò mouendi, in ſuaſionibus eſt ſpes, in diſſuaſionibus reformidatio.

In Iudiciali genere, finis generis eſt æquitas, finis mouendi in accuſationibus eſt ſæuitia, in defenſionibus clementia.

Demonſtratiuum genus tempus præſens ſpectat, præteritum etiam, & futurum. Deliberatiuum futurum tantum, Iudiciale præteritum.

De Genere Demonſtratiuo Excurſio.

GEnus hoc totum laudationum licet à Cicerone reijci videatur, cum pauciſſimæ huius generis orationes exiſtant, (raro enim per ſe tractatur) non tamen omnino negligendum, aut repudiandum eſt, cum & ipſe Cicero in Oratore ad Brutum eloquentiæ formam hanc appellet nutricem eius Oratoris, quem vult informare, & de quo molitur aliquid exquiſitius dicere. Nam ab hac & verborum copia alitur, &c. Tum paulo poſt: Dulce igitur orationis genus, quod diximus proprium Sophiſtarum, pompę quam pugnæ aptius, & palæſtræ dicatum, ſpretum, & pulſum foro, &c. Cumque laudationes ſint quædam quaſi incunabula eloquentiæ, vt idem Cicero ibidem loquitur, neceſſe eſt rudiores in hoc exornationum genere, diu ante multumq. verſari, ſi ad eam quam requirimus eloquentiam adſpirent

& eo vehementius debent in eo ſtudio operam ponere, quod eo; quaſi quodam cibo, omnis alatur, & illuſtretur oratio. Nam cum primis illis temporibus, quibus tenera adhuc & lactens eloquentia nondum extra fori ſepta prodierat, impolitiori dicendi genere primi illi vterentur, Traſimachus Calcedonius diſcipulus Platonis, & Socratis, primus eloquentiam ad plauſus clamoresq. hominum incitandos inſtituit, primusq., vt ait Suidas, colon, ideſt orationis membrum oſtendit, & per eadem tempora Gorgias Leontinus diſcipulus Empedoclis, & Iſocratis Magiſter, metaphoras, alegorias, ironias, & cætera orationis ornamenta excogitauit. Sed ea, quæ ab ijs inuenta ſunt, vt modo primumq. naſcentia, minuta, & vermiculorum ſimilia quædam fuerunt, nimiumq. depicta; ſed ab Herodoto, & Tucydide exculta, tandem ab Iſocrate perfecta ſunt.

Quid ſit genus demonſtratiuum.

PErſpicua eſt, vt aliorum, ſic & huius generis definitio; nullus eſt enim, qui neſciat illud in laudatione vituperationeq. verſari: vnde & bipartita iſta videretur eſſe debere tractatio, vt primum de genere laudum diceremus, ſecundo, qui modus in vituperando tenendus eſſet: verum quia cognito vno contrario, alterum etiam cognoſcitur, nos tantum de laudationibus agemus, quarum præcepta ad vituperandũ

etiam poterunt referri. Sed huic generi varia fuerunt impoſita nomina; ab alijs enim demonſtratiuũ dicitur ſiue, vt explicat Quintilianus, ꝙ oſtentationis cauſa tantum inſtitutum ſit, vel quod eo virtutes, & vitia demonſtrentur: ſunt qui Sophiſticum appellent, quod, vt ait Cicero eodem loco, proprium eſſet Sophiſtarum, quoniã eo plurimum Sophiſtæ in publicis celebritatibus vtebantur: ideoq; à nonnullis panegyricum appellatur: à Cicerone modo laudatio, modo exornatio nominatur. Et Quintilianus laudatiuum, ſed parum Latino vocabulo appellat. Et licet in hoc genere non minus ſit vituperatio quam laudatio, nomẽ tamen proprium à laudatione ſumit, tum quia frequentius in publicis orationibus laudare quam vituperare ſoliti ſumus, tum etiam quia ab eo, quod maxime excellit in aliqua re, tota res appellatur. Genus hoc, vt Iſocrates ſentit, in omnia dicendi genera diffunditur, cum in omni genere & laus, & vituperatio inſit. Nam vix in genere deliberatiuo poterit quis ſuadere, aut diſſuadere, & in genere iudiciali accuſare, aut defendere, niſi laudem & vituperationem admiſceat, vt Cicero pro Milone ſummis Milonem laudibus extollit, Clodium autem deprimit, & acerrime vituperat. Verum cum ſolum excogitatum ſit, vt qui rerũ geſtarum gloria floruerunt, dignis exornarẽtur laudibus, ſine deliberatiuo & iudiciali eſſe poterit, licet nunquã ſeparatum ab Oratoribus tractetur, ꝙ certe nullã Ciceronis habeamus orõnẽ

 quæ

quæ ſit tantum in hoc genere: cum enim aliquem Cicero laudat, hoc ideo facit, vt facilius perſuadeat eum digniſſimum eſſe, cui præſtantiſſimarum rerum cura committatur, & ideo, omnes orationes, quibus Cicero aliquem laudat, aut vituperat, ad deliberatiuum genus referuntur.

Demonſtratiuo generi tempus præſens maxime conuenit, quemadmodum deliberatiuo futurũ, & iudiciale præteritum propoſitum eſt. Nam cum aliquem laudamus, ea quæ tunc in eo ſunt conſiderare debemus, & non qualis antea fuerit, aut qualis futurus ſit, fieri enim poteſt, vt antea laudabile vitæ inſtitutum ſequutus ſit, nunc autem ab eo deflexerit: poteſt etiam in tempus præteritum, & futurum commode diffundi. præteritum etiam exornationi multum laudis affert, & præſertim cum quempiam à rebus præclare geſtis; & ex coniecturis, quibus dicimus eum longe meliorem futurum, celebramus.

Quid laus, quid laudatio, & quomodo differant.

CVm igitur Genus hoc exornationis omne in laude poſitum ſit, videndum eſt, quid laus ſit, & quid laudatio. Ariſtoteles Rhetoricorum primo, laudem ſic definit. Laus eſt oratio virtutis magnitudinem explicans, in qua ſententia fuit Aphtonius Sophiſta, & quamplurimi

rimi alij Græci Rhetores; nihil enim aliud præter virtutes vere laudari poteſt; cętera vero ideó laudantur, quoniam ad virtutem cui ſoli laus debętur, tamquam ad veram laudis originem referuntur. Laudatio vero eſt oratio pręclaras actiones, & opera commemorans, differtq. laus à laudatione, ſicut virtus ab actione, ſicut enim bonę actiones à virtute proficiſcũtur ita laudatio à laude, & ſępe confunduntur, cum enim aliquem laudamus res eius geſtas, à virtute tamen profectas oſtendere debemus.

De laudandi Generibus.

ENcomiorum genera ad duo potiſſimum capita Ariſtoteles reuocat, ac primum quidem ſerium appellat quo in foro, curiis, comitijs, & concionibus vtimur; alterum otij & litteratorum hominum, qui ſępe in leuioribus iſtis argumentis pertractandis animi cauſa verſantur. Huius duo ſunt genera cum ſcilicet res etiam viles contemptę, & abiectę laudantur, vt ſi muſcam, ſi culicem, aut etiam alia ignobiliora laudemus. Alterũ cum res etiam pernicioſæ exornantur, vt mors, patricidium, furtum, Tyrannus, vt Iſocrates, qui Buſiridem laudauit. Rurſus, aut laudationes iſtæ communes ſunt, & publicæ, ita vt non vna res tantum, aut ſpecies, ſed multæ ſimul laudentur, vt fieri ſolet in celebritatibus publicis, in quibus & Deus regionis tutelaris, & regio ipſa, celebritatis in-

 ſtitutor,

ſtitutor, victor, coronaq. laudantur, atque orationes panegyricæ nominantur. Aut certe vna res certa definitaq. celebratur, vt aut Deus ſolus, aut homo,&c. eæque orationes peculiari nomine encomia appellantur, quæ ſunt quaſi paruæ panegyricæ orationes. Nam panegyris habebatur in publico communiq. conuentu; encomium vero inter tribules, cum communia inter ſe conuiuia celebrarent; notum enim eſt in illis maiorum res geſtas; (vt ait Cicero prima Tuſculanâ) decantari ſolitas fuiſſe ad tibiā; & Pollux dictum encomium exiſtimauit,a loco, vbi maxima cōuentu populi victoria caneretur.

De Panegyricis orationibus.

PRimum ergo, de primo genere videamus. Panegyris,ſi notionē nominis ſpectemus,nihil eſt aliud quam hominum quædam quaſi cōgregatio, & collectio multarum variarumq; rerum: vnde & malorum panegyris apud Pliniū, & corpus panegyricum apud Plutarchum ſignificat tamen præcipue celebritates,&,vt Cicero ait,mercatus qui fiebant totius Græcię celebritate, magno ludorum apparatu. Cur inſtitutæ ſint,& de certaminibus quę in ijs exhiberentur, vide Iſocratem in panegyrico.Herodotus lib.2. ab Aegyptijs inſtitutas ait.Inter cætera autem certamina erant & Oratorum, & Philoſophorum, & Poetarum diſputationes, vt colligimus ex eodem Iſocrate eodem loco. nam habeban-

cur ſermones & orationes ad vniuerſum populum congregatum, quę panegyricę vocabantur, & Ariſt. genus demonſtratiuum panegyricum appellat: vnde & Panegyricus Iſocratis, & aliorum; quod nomen poſtea ad priuatas certarum rerum laudationes tranſlatum eſt; vt Panegyricus Plinij, qui eſt tantum gratiarũ actio ad Traianum, ob conſulatum acceptum eius beneficio. Hoc genus orationum Quintilianus ad deliberationes potius quam ad laudationes pertinere dicit, quia ſemper aut aliquid ſuaderent, aut diſſuaderent, vt panegyricus Iſocratis quo Græcos ad bellum contra Barbaros ſuſcipiendum hortatur. quãquam ego exiſtimo iſtos Sophiſtas, ob maiorem artificij commendationem, ſpecie quidem alicuius rei ſuadendæ ad dicendum veniſſe; cum tamen illa omnis oratio laudationem potiſſimum cõtineret, quod intelligi poteſt ex ea Iſocratis oratione, quam modo nominaui, in qua cum bellum ſe Græcis perſuadere dicat, maximam tamen orationis partem in Athenienſium laudatione conſumpſit. Et quia iam hoc totum dicendi genus exoleuit ac pauciſſima reſtant antiquorum Oratorum in hoc genere monumenta, prætermitti poſſet eius accuratior tractatio, vt quæ aut non neceſſaria ſit, aut minus vſui ſit futura, ne quid tamen deſit ad abſolutam generis demonſtratiui tractationem, quoſdam quaſi fontes proferre volui, ex quibus omnis panegyricarum orationum tractatio poſſit deduci.

Primus igitur locus ab eorum commendatione, qui iſtas celebritates inſtituerunt, duci poterit, vt fortiſſimorum hominum virtus perſpecta redderetur, & nota, et ad eam imitandam cęteri incitarentur, omnes denique et ſpectatorum variatione, et Muſicæ ſuauitate delectarentur.

Secundo loco, laudari poterit Deus ille, cuius cauſa cónuentus inſtitutus eſt, & ab iis exornatio potiſſimum ſumi debet, quæ illuſtriora de eo Deo dicuntur.

Tertius locus erit regionis ac ciuitatis, in quo Oratoris induſtria maxime exquiritur.

Quartus locus poteſt eſſe comparatio huius, aut regionis, aut ciuitatis cum aliis quæ celebritates huiuſmodi exhibeant.

Quintus locus ipſius mercatus laudes continebit, ac primo quod initium habuerit, à quo, & quando inſtitutus ſit, ſi fabula quæpiam ſit aut hiſtoria, non prætereatur, aut aliquid ex antiquitate repetitum. Locus etiam non negligendus, & de tempore apta quæpiam dicenda; ſi vere aut hyeme, &c. Videndus etiam modus certaminum, ſintne exercitationes tantum, an Muſica etiam adhibeatur: ſi vtrumque, dicemus prudenter ad leuandos certaminum labores Muſicam fuiſſe adiunctam, tum vt virtus excitaretur & animi delectarentur. Sin tantum Muſica aut hiſtrionicæ actiones præbeantur, dicemus id inſtitutum ad remiſſionem continuorum laborum, vide Dionyſium de Panegyri, &

Scali-

Scaligerum.

Sextus locus, coronæ & proœmij laudatio erit, ac primo, victoriam pronunciabimus, tum genus coronæ, ſi quernea, quod Ioui ſacra, quod antiquis cibus fuerit, quæ oracula ediderit. ſi oliua quod Mineruæ ſacra, quod Trophea ex ea arbore conficerentur, quod victoriæ pacisq. ſymbolum ſit, quod Pallas, cum Neptunũ viciſſet, ea ſe coronauerit, quod Athletis certantibus vtilis &c. tum coronam dari tam vilis pretij, quæ teſtificatio virtutis potius, quam virtutis merces ſit, cum virtuti par pretium eſſe non poſſit, ſeque ipſa contenta ſit.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Septimus locus, ducetur à laude Agonotetæ.

Octauus locus in exhortatione poſitus eſt, vt qui vicerũt, tantæ virtutis laude gaudeant, & quam in his vmbratilibus certaminibus oſtenderunt, patriæ poſtulanti non denegent, & alij ad illorum imitationem accendantur & inflammentur.

De Dei laudatione.

QVi Dei laudationem inſtituerint, in eaq. fuerint materia ex profeſſo tractanda verſati, nulli quidem, vt legerim, reperiuntur Oratores, & ſi qui ſunt, non multum complexos crederem, cum (vt S. Nazianzenus in oratione de ſacra Theologia docet) de Diuina illa natura exiguam quamdam, & veluti per caliginem cognitio-

cognitionem aſſequamur. Verum, ipſe qui perfectum quantum fieri poteſt Oratorem quæro, collegi tum ex ſacris, tum etiam ex profanis auctoribus, ea quæ ad Deum laudandum ſumi poſſe videbantur; neque tamen ita ſubtiliter, vt à Theologis diſputari ſolent; ſed quantū oratoria vis dicendo ornare, & illuſtrare poteſt. Atque illud in primis obſeruandū eſt, de Deo nos poſſe bifariā loqui, aut eo pacto quo homines laudare ſolemus; ſcilicet quod non vincatur à cupiditatibus, aut quod aliquod bonum agat ad ſe redundans; & ſe perficiens; hoc autem fieri non debet, cum nulla Deus omni ex parte perfectus indigeat perfectione; nec Prophetę hoc modo eum laudandum eſſe dixerunt, ineptum enim ac abſurdum eſſet Deum ita laudare, inquit Philoſophus; quoniam eum nobis ſimilem faceremus.

Alio modo Deum laudare poſſumus tamquam bonorum omnium, quæ habemus, auctorem, & benefactorē noſtrum, vt grati & memores tantorum in nos collatorum beneficiorum, ſummis ei laudibus gratias proijs agentes, eſſe quoad fieri poteſt videamur. Quod vt facilius, & diſtinctius conſequamur, primum locum veluti narraturi ex hoc ducere poterimus, quod nulla fuerit tam barbara natio, nulla gens tam effera, cui de Diuina illa naturæ non innata eſſet perſuaſio, cum hæc mundi forma, hic ordo, hęc vniuerſi conſenſio, hic orbium cęleſtiū vniformis motus, ſitus, numerus, diſparitas, ęeleritas, ęqua-

litas,

litas,in tanta motuũ varietate conſtantia, ſolis acceſſus & receſſus varij,tēporũ viciſſitudines, quæ à fortuna varietatis & inconſtantiæ amica eſſe non poſſunt, rerum omnium creatarum tã admirabilis proportio,& elegãs deſcriptio,tan tã ſui admirationē moueant,vt vel immanes feræ,ſi intelligere,ac loqui poſſent,aliquod numē eſſe & faterentur,& prædicarēt,maluerintq. homines, cum in alijs vitæ partibus non nimiũ à belluis ſibi differre viderētur,ſe rebus inanimis ſubijcere,& ſtipitem,aut lapidē venerari,quam ſine religione viuere,adeo omnium animos cõmunis de Deo prænotio occupauerat.&.hęc rationibus & auctoritatibus, quæ efficaciores videbũtur cõfirmari poſſunt,vt ſi qui forte fuerint q in tãta luce cæcutiant,plane veritatis lumine illuſtrentur.Secundo loco oſtendere poterimus hinc effici vt maxima omnes Dei cognoſcendi inceſſerit cupiditas,& Philoſophorum multi in illius Diuinæ naturæ inueſtigatione plurimum laboris conſumpſerint:tum addere,animos noſtros, eandē ad Deum habere comparationem, quàm oculus noctuæ ad ſplendidiſſimum ſolis lumen,cuius tãta eſt virtus, vt oculorum aciem perſtringat.Tãdem cõparatione vti,hoc modo, ſi Philoſophi tot ſeculorum laboribus,non modo animi,ſed ne corporis quidem cognitionem conſequi potuerunt,quanto minus ęternam nos diuinàmq. illam naturam?Tertio loco,hinc factũ eſſe, vt cum Deum appeterent,nec quis,aut vbi eſſet,intelligere poſſent,ad muta ſeſe rerum

ſimu-

ſimulacra colenda conuerterint, de quorum ſuperſtitionibus S. Thomas, Auguſtinus, & cum plures alij copioſe tractant.

Quarto loco, cumq; ita ſit, poſſe nos tantum rerum creatarum beneficio ad creatoris cognitionem peruenire (inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.) ratiocinatione vti, et oſtendere, ex rebus à Deo factis ad Dei nos poſſe cognitionem accedere. ſic Cicero 2. de Natura Deorum, ex ordine rerum verum Deum colligit. ſic Clemens Alexandr. oratione adhortatoria ad gentes, ex ordine vniuerſi, et harmonia ſuauiſſima, naturam vnam præſtantiſſimam, ſcilicet, Deum colligit; ſic Athanaſius, in oratione contra Idola, vtitur hac elementorum diſcordia, et cytharæ exemplo, vt vniuerſi artem doceat artificis alicuius, ſcilicet Dei opera excitatam.

Quintus locus, de vnitate eſſe poterit, minus tamen neceſſarius, ſextus de Trinitate.

Septimus, attributorum diuinorum enumerationem continebit, et præſertim ſummam Dei bonitatem laudabimus, qui cum omnium bonorum in ſe abſconditos theſauros haberet, voluerit tamen aliquando ea communicare.

Vltimus locus erit gratiarum actio, vſque ab angelis Deum ipſum collaudantibus, et hæc erit maxime propria Dei laus.

De

De hominis laudatione.

CVm inter omnes conſtet id ſolum laudabile eſſe, quod bonum ſit, eumque qui in bonis eſt nullo adiuncto malo vere felicem eſſe (eſt enim felicitas remotis malis cumulata omnium bonorum complexio.) hinc ſequitur eos tantum eſſe laudandos, qui aut felices ſunt, aut felicitatis participes. felix autem eſt is qui & corporis, & animi bonis ita inſtructus eſt, vt nihil amplius deſideret. Vnde duo bonorum genera colliguntur, corporis, & animi, quæ aut ſunt in ipſo homine, aut extrinſecus adueniunt: & ita quatuor bonorum genera efficiuntur, primo eorum bonorum quæ ſunt extra corpus, ad illud tamen referuntur, eaq. ſunt, Nobilitas, Gratia, Amicitia proborum, numeroſæ diuitiæ, bona proles, et facilis ſenectus. In ipſo autem corpore ſunt ſanitas, forma, vires, robur ad certandum. Extra animum ſunt, gloria, honos, proſperitas. In animo, virtus, et virtutis ſpecies. Horum autem bonorum, quædam minora dicuntur, quædam vero maiora. Nam cum homo ex animo, et corpore conſtet, et corporis et animi bona reperiantur, et animus ipſe, quo humano generi nihil à Deo ſublimius nihilq. preſtantius tributum eſt, corpus præeat, neceſſe eſt animi bona, quippeq. in nobiliori exiſtunt ſubiecto longe præſtantiora eſſe cæteris bonis, et illa quæ ſunt

in corpore, ijs quæ ſunt extra corpus. Per hæc omnia genera Oratori percurrendum erit, cum ex ijs omnibus laudatio proficiſcatur.

De Felicitate.

QVatuor felicitatis definitiones ex opinionibus hominum ab Ariſtotele afferuntur, quarum prima hæc eſt: Felicitás eſt vitæ proſperitas cum virtute coniuncta. Neque enim hic Ariſtoteles ſubtiliter, & exacte de felicitate, quæ in ſolis animi virtutibus ineſt, diſputat, ſed tantum communiter eam deſcribit, quam omnes, vt quiete feliciterq. viuant, conſequi ſtudent, omnibus enim hoc eſt à natura tributum, vt ea, quæ felicem ac beatum eum efficere poſſunt, expetant, fugiantq. contrária. Duo igitur ex priori definitione neceſſaria ſunt, vt quis felix eſſe dicatur, videlicet vitæ proſperitas, & virtus. Nam ſi quis vitę tantum proſperitate vteretur ſine virtute, hic non felix, ſed miſer potius exiſtimandus eſſet. Nam Plato, Ariſtoteles, & Cicero, eum miſerum & infelicem eſſe, qui improbus ſit, etiam ſi fortunatiſſimus eſſet, cenſuerunt. Præterea ſi quis virtutis laude floreret, aduerſaq. vteretur fortuna, hic ad ſummam reduceretur infelicitatem, omnibusq. infortunijs vexaretur: nam quæ felicitas ei eſſe poteſt, (licet virtute præcellat,) qui calamitatibus atque miſerijs torqueatur? Quare neceſſe eſt vt ad felicitatem duo coniungantur, videlicet

delicet vitæ proſperitas, & virtus. Secunda felicitatis definitio hæc eſt, felicitas eſt earum rerum poſſeſſio, quibus vita eſt contenta, ex qua definitione aperte colligitur eos qui rerum cupiditate trahuntur, felicitatis expertes eſſe; Vnde recte dictum eſt, animo ſua ſorte contento, nihil felicius eſſe. Tertia definitio hæc eſt, felicitas eſt vita cum ſecuritate iucundiſſima; & ideo beatiſſimi exiſtimandi ſunt, qui virtutibus tamquam veris ac tutiſsimis animi voluptatibus condecorantur. tandem felicitas eſt bonus firmusq; ſtatus poſſeſsionum, & corporum, cum facultate cuſtodiendi, & amplificandi, & propterea qui animi probitate præſtant, & fortunæ bonis copioſiſsime affluunt, & quibus nihil ad vſus vitæ neceſſarios, et ad perfruendas voluptates deeſt, corporis ſanitate, et vitæ iucunditate adiuncta, cum facultate cuſtodiendi, et amplificandi, ij felices exiſtimantur.

De externis bonis corporis. Cap. 1. *de Nobilitate.*

NObilitatem Ariſtoteles duplicem facit, alteram publicã, quæ regionis, aut ciuitatis eſt. Priuatã alteram quę gentis, et familię, et vtraq; nobilitas in laudationib' adhiberi poteſt licet illa cõmuni minus frequenter Oratores vtãtur. Nobilitas ciuitatis tũ à vetuſtiſsima illius origine, tum à primis ductoribus qui prę́ſtãtes

fuerint,tum à Principũ,& Imperatorũ excellentia pẽdet;qua de cauſa veteres,vt ciuitates nobiliores viderentur,primos cõditores in Deorum numerum referebant, vt Athenienſes Cecropem vrbis conditorem, Romani Romulum,(vt alios prope innumeros ſicco, vt dicitur, pede prætercam.) Sæpe etiam accidit,vt alicuius viri virtus eximia,totam gentem, ac ciuitatem Illuſtriorem reddat; vt de Epaminonda legitur cum quo aiunt Thebanorum virtutem, & ortã eſſe, & interijſſe: nam ex hominum præſtantia, & excellentia,vrbes,& loca plurimum ſplendoris capiunt.

De priuata nobilitate.

NObiles proprie dicuntur, qui ſua,aut maiorum virtute claruerunt,& per eam noti ſunt;vnde & illuſtres, & clari, & ſplendidi appellantur, & contra ignobiles, ignoti, obſcuri gigantum fratres, filij terræ dicuntur. Hos ad felicitatem non ſatis aptos eſſe Ariſtoteles putat; omnes enim boni nobilitati fauemus,inquit Cicero,& quia vtile eſt Reipublicæ nobiles eſſe homines dignos maioribus ſuis, & quia valere debet apud nos clarorum hominum ſenex de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum; & Euripides: nullum pulchrius liberis munus relinquitur, quam ſi parentibus bonis, & ſtudioſis naſcantur; & Homerus ille,nobiles διογενεῖς, tamquam Ioue genitos, vt qui aut à

Ioue

Ioue ipſo, aut ab antiquis illis Heroibus originem gentis ſuæ repetunt. Priuata nobilitas, vt Ariſtoteles docet, & ex viris, & mulieribus legitimo, & conceſſo coniunctis matrimonio deducitur. Quod cum ita ſit, videndum eſt, ne ex quauis muliere filij ſuſcipiantur; vnde Cicero ſecunda Philippica obijcit Antonio, quod hominis Libertini filiam vxorem duxiſſet: Lacedæmonij Regem ſuum Archidamum pecunia multarunt, quod vxorem paruam duxiſſet: Spurij & noti, quamuis ex nobilibus parentibus nati ſint, in nobilium numerum, niſi legibus ſoluantur, (tunc enim in familiam ſuccedunt) nullo modo ſunt admittendi. Quam ob cauſam, Solon ille ſapientiſſimus Athenienſium legislator ſtatuit, ſpurios parentibus nihil debere, à quibus perpetuam infamiam accepiſſent: Athenienſes nobilitatem, ſpuriorum conſuetudine contaminari exiſtimantes, locum in quo ſpurij ſeorſum ab ingenuis exercerentur habebant ad quem Themiſtocles ſpurius blanditijs nobiles adoleſcentes allectos adducebat, vt diſcrimen illud ſpuriorum & legitimorum paulatim tolleretur.

Primum igitur, breuiter, quaſi trāſcundo, nobilitatis commendationem attingemus, quod nobiles ita dicantur; quod noti ſint, illuſtres, clari, & ſplendidi, &c. Deinde nobilitatem parentum commendabimus ab antiquitate, ac ſplendore, ſi Reges, ſi Principes.

A diuitijs, quibus vſi ſint ad ſplendorem, aut

certè ad opem patriæ ferendam, aut quod potius eſt, eas rebus pijs impenderint, ſi magiſtratus geſserint, ſi virtute bellica inſignes, et in re militari clari, ſi priuilegia ob virtutem, ſi præmia conſequuti.

Tum dicemus eum, quem laudamus, numquã ſatis eſſe exiſtimauiſſe, claris parentibus ortum fuiſſe, niſi etiam eorum præclara facinora imitando ſequeretur. Ideoq. hanc maiorum ſuorum laudem ſuis proprijs virtutibus cumulaſſe. Nam, vt inquit Terentius parentes, patria incolumitas, amici, genus, diuitiæ, perinde ſunt, vt illius animus, qui ea poſſidet, qui vti ſit, ei bona, illi qui non vtitur rectè, mala. Vnde ſi ſceleratus ſit, incipit ipſorum contra ſe ſtare parẽtum nobilitas; vide quæ Saluſtius habet in Iugurta in illa nobiliſſima oratione, vbi hoc præſertim notandum duxi, cum ait: Cum apud vos in Senatu verba faciant plerumq. oratione maiores ſuos extollunt, & eorum facta memorando, ſe claros eſse putant, quod contra eſt: nam quanto eſt illorum vita præclarior, tanto horũ ſocordia flagitioſior. Et Galenus in oratione ad artes ait, eos eſse ſimiles numiſmatis, & S. Nazianzenus ait, eos de ſepulchris, hoc eſt de cineribus oſſibusq. gloriari. Itaq. dicemus eũ vere Horatij ſententiam comprobaſse, eſt in iuuencis, eſt in equis patrum virtus. Et illud Euripidis in liberis virtus nobilium cõcipitur. Poterimus ergo, aut ſingulos, aut illuſtriores à maioribus enumerare, quos iſte potiſſimum

fuerit

fuerit imitatus, licet Cicero contra Saluſtium maiorum excellentiam, & præſtantiam niſi laus propria adiungatur in exornatione, non multum valere dicat. Satius eſt enim, inquit, me rebus meis geſtis florere, quam maiorum opinione niti, & ita viuere, vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplũ, quod ideo fortaſse dixit, quia maiores ſuos parum Illuſtres habuit. Exemplum habes præclariſſimum apud Demoſthenem in epit. ſub finem, & in Euagora Iſocratis.

Quod ſi genus obſcurum fuerit, aut illud prætermittemus, aut ſanguinis nobilitatem extenuabimus ab ijs, quæ ſupradiximus de ijs, qui tantum de parentum nobilitate gloriantur; vel certe dicemus eum virtute ſua, maioribus ſuis præluxiſse, ijsq. vt ait Cicero, nobilitatis initium dediſse, quod multo præclarius eſt, quam ſi ab alijs partum ſuſcepiſset.

De Amicitia.

Ariſtoteles octauo Ethicorum, triplicem ait eſse amicitiam, quarum vna vtilitatem ſpectat, quę vulgaris amicitia appellari ſolita eſt, altera voluptatem quærit, & hanc iuuenes potiſsimum ſequuntur. Tertia ad honeſtatem refertur, atque hæc ſola eſt vera amicitia, de hac loquitur Cicero in officijs probatq.

nihil ex omnibus humanis rebus amicitia præſtantius eſſe,& ſi quis amicitiam è vita tolleret, idem fore ait,ac ſi quis ſolem tolleret è mundo.

Amicitia, quæ, in vtilitate ac voluptate fundatur,non eſt amicitia per ſe, ſed per accidens; quoniam,vt inquit Ariſtoteles,illa amicitia,quę eſt inter eos, qui ſeipſos non propter ſe amant, ſed propter aliquid aliud,non eſt amicitia per ſe,ſed per accidens:ſed amicitia,quæ eſt ob vtilitatem,& ea quæ eſt ob voluptatem,non eſt per ſe;cum enim aliquem amamus ob pecuniã, aut ob voluptatem, profecto voluptatem ipſam,& pecuniam potius per ſe amamus, illum autem ob ipſam pecuniam; & ita talis amicitia dicitur eſſe per accidens, & facillime diſſoluitur: nam remota cauſa per ſe alicuius effectus,à qua talis effectus dependet, remouetur etiã ille effectus; & cum cauſæ huiuſmodi amicitiarum, quæ ſunt vtilitas,& voluptas,facile mutentur neceſſe eſt, vt ceſſante cauſa ceſſet, & diſſoluatur ipſa amicitia. Ratio autem,cur amicitia, quæ eſt ob vtilitatem,in ſenibus maxime reperiatur,hæc eſt, quoniam in illa ætate, magis quam in alia,ope, & auxilio aliorum indigent, & ideo operam dant ſedulam, vt eorum ſibi beneuolentiam cõcilient, qui ſibi vſui eſſe poſſunt.

Amicitia vero, quæ eſt ob iucunditatem, & voluptatem, præcipue in adoleſcentibus, & iuuenibus reperitur: nam cum in illa ętate appetitui inſeruiant,in eorum amorem facile impelluntur, ex quibus aliquas ſe voluptates percepturos

pturos ſperant. & cum voluptas, ex qua huiuſmodi adoleſcentum amicitia conſtabat, facile mutetur, vt ipſa docet experientia, hinc ſequitur quod adoleſcentes citò amici fiunt, & citò deſiſtunt.

Sola igitur amicitia, cuius fundamentum eſt honeſtas, & virtus altiſſimis defixa radicibus, ſtabilis, diuturna, & perpetua perſeuerat, rara, perfectaq. appellatur, quoniam per eam homines mutuo ac per ſeipſos diliguntur, mutua bona ſibi exoptant, & ſe amicitiæ gratia, non vtilitatis, aut voluptatis ergo amant: dicitur autem ſtabilis ex eo, quod habet cauſas firmas, & ſtabiles, cum virtute conſtet: dicitur etiam rara amicitia, quod eſt ſignum perfectionis, quoniam difficilem cauſam habet, cũ ea ſit virtus, qua difficile comparatur: dicitur quoque rara amicitia quoniam temporis diuturnitate indiget vt fiat. Nam homo hominem perfecte cognoſcere non poteſt, niſi longitudine temporis, & niſi comedat modium ſalis, quod Cicero acutiſſime tetigit, cum inquit: Verum eſt, quod dicitur, multos modios ſalis ſimul eſſe edendos, vt amicitiæ munus expletum ſit. & quamuis videamus ſæpiſſime, breui tempore multos amoris vinculo coniungi, inter ſe exhibendo omnia, quæ in amicitia requiruntur; non tamen hi proprie amici ſunt, nec in eis eſt proprie amicitia, quæ diuturnum temporis ſpatium requirit, ſed tantum beneuolentia quædam, & voluntas amicitiæ: ſicut enim poteſt aliquis

operari ſtudioſas operationes, etiam ſi non habeat virtutem: ſic fieri poteſt, vt aliqui agant tamquam amici, cum re vera non ſint propriè amici, ſed habeant voluntatē contrahendi amicitiam. Bonorum amicitiam incredibiles ſequuntur voluptates, & iucunditates, non tamen eius rationis cuius eſt voluptas in amicitijs, quæ ſunt tantum ob voluptatem, quoniam illa, vt inquit Ariſtoteles, eſt ſecundum quid, & apparens: Hæ autem ſimpliciter & veræ. Nam qui aliquas aſsiduis laboribus, & Vigilijs virtutes ſibi compararunt, cum videant à ſupremo rerum omnium conditore, non fruſtra ſe in lucem ſuſceptos eſse, maxima perfectione ſua, incredibiliq. gaudio perfunduntur, & ſimiliter cum quempiam alium in quo aliqua virtutis, & probitatis ſignificatio appareat vident, illum ſummo cōplectuntur amore, omnia deinde bona mutuo ſibi ipſis expetunt, & ex tali amicitia non iniucunda reſultat voluptas.

Quid ſit Amicitia.

AMicitia, vt inquit Cicero nihil aliud eſt, niſi omnium diuinarum humanarumque rerum cum beneuolentia, & charitate ſumma conſenſio, qua à Deo hominum generi nihil melius tributum eſt, ſine qua, neque in aduerſa, neque in ſecunda fortuna quiſquam viuere poteſt, et vti idem Cicero primo de finibus inquit. Omniū rerum, quas ad beatè viuendum natura pa-

rauit,nihil eſt maius amicitia,nihil vberius,nihil iucundius,quum ſolitudo,& vita ſine amicis inſidiarum, & metus plena ſit. Hæc debet animorum æqualitate conſtare omnibusq. rebus humanis anteponi, ſicq. vt amicorum idem ſit velle,& idem nolle:nam nullum certius vinculũ, q̃ conſenſus,& ſocietas conſiliorũ & voluntatũ.

Quid Amicus. Qui dicendi Amici. & qui ad Amicitiam apti.

QVoniã vt inquit Cicero res humanę fragiles caducæq. ſunt; ideo aliqui acquirendi ſunt quos diligamus, & à quibus diligamur, & quibuscum familiares ſermones conferre poſſimus. Charitate enim ſublata,quid boni in vita eſſe poteſt? Quidue vitæ aptius, & ad beate feliciterq. viuendum accommodatius,quam cum viris bonis,iucundis,amãtibus noſtri,in quibus eadem ſtudia eędemq. voluntates exiſtant,ſicq. vt vnum ex multis fiat, vitam ducere? Amicus erit appellandus ille qui honeſto amore aliquẽ complectitur, & indiſſolubili familiaritatis iure ei coniunctus ſit, qui in re dubia, re iuuet, vbi re eſt opus, qui opportune ſuccurrat, & laborantem amicum, & in aliquas adductum miſerias ope,conſilio, & fauore proſequatur.

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurũ,
Tempore ſic duro, eſt inſpicienda fides.

Ex quo ſequitur eos propriè amicos dicẽdos eſſe,qui non ſolum amicitiã habitu habẽt,ſed q̃

habitum cum actu coniunxerunt: fieri enim poteſt, vt aliqui amicitiam habeant, & non operentur: ſicut patet in cæteris virtutibus; quoniã poteſt aliquis eſſe fortis, prudens, & iuſtus habitu, veluti dormiens fortis, prudens, & iuſtus, qui habitum fortitudinis iuſtitiæ, & prudentiæ tantum habet, & tamen non operatur: & ideo habitus amicitiæ non ſufficit, ſed requiritur coniunctio habitus cum actu, hoc eſt, vt beneficia mutuo conferantur, & operationes amicitiæ exerceantur. Vnde notandum eſt, qui exiſtimarunt, amicorum abſentiam amicitiã obliuioni tradere poſſe, deceptos eſſe, quoniã amicorum abſentia amicitiã non tollit, ſed operationes, & vſum, videlicet conuerſationem, & conuictum; non tamen tollit beneuolentiam, beneficia, & id genus alia, niſi fortaſſe longa, & diuturna fuerit; tunc enim temporis diuturnitate aliqua eius poteſt eſſe obliuio. Habitus enim, vt inquit Ariſtoteles, augeri, & conſeruari videtur ab eiſdem operationibus, à quibus oritur, & corrumpitur à contrarijs: & quoniam amicitia à ſimul viuendo, & conuerſando oritur, ita à contrario, à non conuerſari ſimul, nec vna viuere poterit diſſolui, iuxta vulgatiſſimũ illud dictum. Diuturnum ſilentium multas diſſoluit amicitias.

Senes, & ſeueri homines ad contrahendam amicitiam non ſunt apti, neque ad exercendum operationes amicitiæ, licet in iuuentute contractam ad ſenectutem perducere poſſint. Ratio

tio autem eſt hæc, quoniam ſenectus nimium difficilis eſt, et moroſa, reſque omnes nimium exacte fieri poſcit. Et ideo cum his vita moleſtiſſima ſolet exiſtere, facileq. ab illorum con ſuetudine ſolent iuuenes abhorrere, quod non eſt intelligendum de ijs ſenibus, qui honeſtis gaudent voluptatibus, et quorum conuerſatio maximas vtilitates, et voluptates parit, ſed de ijs tantum, qui cum in iuuentute virtutis nullam rationẽ habuerint, ad extremos ætatis ſuę annos perducti, moleſti ac difficiles ſunt.

Iuuenes ad amicitiam contrahendam ſunt apti, et cito contrahunt, quia gaudent conuictu et conuerſatione mutua, vnde oritur amicitia.

Secundum caput, externorum corporis bonorum continet amicos. Laus ergo ab hoc loco ducitur ſi primo cauſas amicitiæ indicemus, quæ in bonis viris non niſi ab aliqua excellentiſſima virtute excitantur, ſed præcipue, vt inquit Cicero lib. 2. off maxime homines commouentur ad diligendum, aut fama, aut opinione liberalitatis, aut certe (ſi deerit facultas) benefica volũtate, ijsq. virtutibus omnibus, quę pertinent ad manſuetudinem morum, et facilitatem. Nam, quod decorum honeſtumq. eſt, per ſe nobis placet, animosq. omnium natura, et ſpecie ipſa commouet ad diligendum, tum ad aſſumptionem deſcendemus hoc modo, ſi ergo virtus eſt, quæ amicitias conciliauit, maximam aliquam in eo virtutem ineſſe oportuit, qui tantam amicorum multitudinem habuerit.

Tum

Tum oſtendemus quibus eos beneficiis ſibi deuinxerit, ſi quid eorum cauſa fecerit, ſi quà ſingularia in eos contulerit beneficia, præſertim nulla ſpe vtilitatis & commodi, nec vero tantùm à priuatis diligi ſeparatim, ſed communiter ab omnibus.

Tertium caput, à diuitijs ducitur, in quibus plurimum momenti ad felicitatem eſſe ait, Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum cap. 8. Has autem diuitias cum virtute coniunctas nobilitatem in Politicis Ariſtoteles appellat, hinc illa definitio Imperatoris nobilitas eſt antiqua æris, & diuitiarum poſſeſſio, cum pulchris regiminibus, & moribus, & S. Hieronymus nobilitates mundi, inquit, nihil aliud ſunt, quam inueteratæ diuitiæ, quæ ſi recens partæ fuerint, ſemper aliquid ſuſpectum habent, cum vix bonus eſſe poſſit ille, qui de repente multa poſſideat.

Diuitiarum partes ſex facit Ariſtoteles, quæ per diuiſionem ita probantur, aut enim animatæ ſunt, aut inanimatæ: ſi inanimatæ, vel mobiles ſunt, vel immobiles, mobilium duæ ſunt ſpecies, pecunia ſcilicet, & ſupellectilia; immobilium pariter duæ ſpecies ſcilicet, prædiorum multitudo, & regionum poſſeſſiones. Animatæ, aut rationis vſum habent, aut non, priores ſunt ſerui, poſteriores pecudes, quæ tria debent habere, vt felicius cum eo qui eas poſſidet agatur, ſcilicet, multitudinem, magnitudinem, & pulchritudinem, quæ tribus qualitatibus quaſi ornamentis inſigniri debent, videli-

cet

cet vt ſint ſecuræ liberales, & vtiles. Vtiles diuitiæ illæ dicuntur, quæ magnos afferunt fructus, fructuoſæ, quæ prouentus annuos reddunt. Voluptuariæ quæ nullum afferunt fructum, ſed voluptatem tantum. fieriq. poteſt, vt ſint aliqua prędia quæ voluptatis ſimul, & vtilitatis plurimum afferant, quales ſunt horti, & prope innumera viridaria Romæ, varijs arbuſculis, floribus, & id genus alia diligenter exculta, ex quibus vectigalia proueniunt. ſecuræ diuitiæ ſunt illæ, quæ in eo ſunt ſitæ loco, vt earum vſus in hominis arbitrio ſit; & è contra illæ ſunt periculoſæ, quæ ſunt in loco non multum tuto, qualia ſunt prædia, quæ arcibus, & munitionibus ſunt propinqua, & quæ apud Padum exiſtunt, & præſertim in eo loco. vnde plurimum damni poſſint percipere, ſuntq. periculoſa quæ procul ſunt, fieri enim poteſt vt à prædonibus, & ab alijs infeſtentur, aut quæ à malæ fidei poſſeſſore empta ſunt, & ſuper quibus poteſt eſſe lis, & controuerſia. Et quamquam plurima diuitiarum elogia apud poetas reperiuntur, diuitiæ tamen per ſe nullam promerentur laudem, niſi quatenus à maioribus ſunt acceptæ, & in vſu ponuntur. Vnde Cicero de amicitia; Opes, inquit, ſunt vt vtare, & præclare Dionyſius Syracuſanus ei Theſaurum qui recondiderat abſtulit, tamquam indigno; eidem tamen altera pecuniarum parte vtenti, quod abſtulerat reddidit, vt qui iam veram pecuniarum naturam noſſet, neque enim

hi diuites ſunt appellandi, qui multa poſſident, ſed qui diuitijs vtuntur. poſſeſſiones enim rerum ad vſum ſunt referendæ, alioquin fruſtra poſſidentur, et propterea Ariſtoteles ait, ipſas diuitias nihil aliud eſſe, quàm earum rerum quæ poſsidentur vſum; ex quo ſequitur, auaros, quibus nihil indignius excogitari poteſt, licet opulentiſsimi, diuitijsq., vt ita dicam, paratiſsimi ſint, non quidã diuites, ſed mendicos, et miſerrimos eſſe exiſtimãdos. Vſus autem diuitiarum, aut pertinet ad priuatum vitæ cultum, aut certe alia intuetur. Vitæ cultus cum elegantia, præſertim ſi nulli noceat, laudabilis eſt. Cæterum magis laudandus qui pecunijs ad beneficentiam vtitur, et in beneficijs multis, in amicos, in ciues, in propinquos; in publicum, in pauperes, in vſus pios conferendis. Quæ liberalitas, ſi profuſio ſit, dummodo non excedat, magnificentia ſolet appellari: vt ſiquis ſibi ampliſsima palatia conſtruat, ſi in rebus pijs profuſus ſit, vt ditandis pauperibus, inſtruendis ornandisq. Templis.

Quintum caput laudis ducitur à multitudine bonorum liberorum, qui ſi bene educati, bene inſtituti ſint, ſi virtute præditi, argumentum eſt, eos, à quibus editi, alti, educatiq. fuerunt, ijſdem omnino, aut certe melioribus moribus fuiſſe. Maximam felicitatis partem Ariſtoteles eſſe putat, habere multos, eosq. moribus probatiſsimis, ingenio exoſculando, indoleq. præcolla, et virtutibus inſtructos filios, quod

vni

vni Quinto Metello tantum contigiſſe, Valerius Maximus ſcriptum reliquit, cui eodem tempore deſuper conceſſum eſt, tres filios conſulares videre, vnum Cenſorium, duos Triũphales, vnũ prætorium; filiarum ſobolem ſinu ſuo excipere, et, quod caput eſt, vitam in ſuauiſsimo ſuorum complexu cum morte commutare. Et quoniam filiorum nomine, et appellatione etiam feminę intelliguntur, ſciendum eſt, in his quoque virtutes ſpectari, quæ vel in corpore, vel in animo ſunt, in corpore, vt inquit Ariſtoteles, venuſtas et magnitudo, in animo temperantia et ſedulitas. poterit igitur mulier laudari à venuſtate, à corporis magnitudine, à pulchritudine, et præſertim, ſi cum honeſtate, et temperantia ſit coniuncta: nam, vt inquit Plato, ſi pulchritudini mores reſpondeãt, tum ſingulare quiddam ſolet exiſtere. poterunt etiam commendari à ſtudio, et ſedulitate operum, à liberalitate, et tandem ab animo temperanti et ſedulo.

De his bonis, quæ ſunt in corpore. *Cap. 2.*

Illud primum aduertendum eſt, hæc externa omnia et corporis bona, eſſe producta, ſeu (vt barbari loquuntur) indifferentia; nihil enim in ſe habent per ſe laudabile, ſed cum ab his laudationum capita ducere volumus, in eorum primùm cauſas intueri debemus: vt ſi bonis rebus efficiantur et laudabilibus, etiam laudem promereantur; et ſi contra, reprehenſionem.

A bona valetudine ergo ſi quem laudabimus eum non quia valens ſit eſſe laudandum, cum improbiſsimi quamplurimi valeant, ſed ſi ea valetudo, virtute aliqua effecta ſit, ab eaque confirmata, poſsimus itaque dicere valetudinē eſſe congregationem quandam qualitatum in corpore ita moderatam, vt nulla earum excedat, (tum enim valetudo conſequitur,) quemadmodum enim in muſicis, ſeu fidium, neruorumq. cantu ſi neque elatius vocem cōtendas, neque remittas languidius, ſi nihil à concentus lege deflectas, efficitur iucundiſsima quædam vocum ſonorumq. permiſtio, ſic in vita, quę hac moderatione continetur, ſi continentiam retineas, ſi nihil in victu, nihilq. in voluptatibus nihil in exultationibus excedas, ſed huius naturæ quaſi armoniæ te accommodes, oritur ille humorum in corpore, vt in muſicis concentus, qui valetudo nominatur. Ex quo Cicero 2. officiorum, valetudinem ſuſtentari ait notitia ſui corporis, et obſeruatione earum rerum quæ aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe, et continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi cauſa, et prætermittendis voluptatibus. Hæc poſſunt illuſtrari exemplis multorum ſenum, vt Platonis, Iſocratis, Lelij, Galeni, quorum Cicero de ſenectute meminit, & Gorgiæ Leontini, qui cum ad annos centum et nouem perueniſset interrogatus, qua ratione tamdiu valetudinem ſuſtentaſset, reſpondit, ſe nihil vmquā voluptatis gratia feciſse. In 2. genere ponitur

corporis pulchritudo, quæ eſt apta figura membrorum cum quadam coloris ſuauitate, & concinna membrorum, compoſitione, oculos mouens, & delectans, hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiant: vnde Ariſtoteles, pulchritudinem, quaſi epiſtolæ commendationem ait eſſe; & interrogatus cur pulchri tam amarentur, hanc eſſe cæci hominis interrogationem reſpondit. Proclus, omne pulchrum eſſe honeſtum, & amabile dixit, quoniam naturæ diuinæ quandam imaginem habet: deinde videmus, vt amari pulchra, ſic etiam turpia contemni, & virtutem amari tantum quod pulchra ſit. Et omnia cætera bona inuidiæ ſubiecta ſunt, præter pulchritudinem, quam homines ſatis admirari non poſſunt. Nec homines tantum, ſed ipſi etiam Dij formæ pulchritudinæ capti fuiſſe finguntur. Deus enim ipſe, Beataq. Virgo à pulchritudine commendantur, immo beati in cælo nulla re tam beati ſunt, quam diuina pulchritudine contemplanda.

Duo ſunt genera pulchritudinis, auctore Cicerone primo officiorum, quorum in altero venuſtas eſt, in altero dignitas: venuſtatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem. Remouendus ergo omnis viro non dignus ornatus, & motus, geſtusq. nec palæſtritæ, nec hiſtriones, ſed recti, & ſimplices laudandi ſunt. Formę dignitas, coloris bonitate tuenda eſt; co-

lor non fuco, ſed exercitationibus, tum adhibenda munditia non nimis exquiſita, ſed fugiēdæ ſordes, eadem ratio in veſtitu eſt, in inceſſu nec tardi, nec celeres. Ariſtoteles ſecundum ętates pulchritudinis ſpecies diſtinguit, aliamq. ait eſſe adoleſcentis pulchritudinem, aliam viri, & aliam ſenis: in adoleſcente, inquit, pulchritudo eſt, vt corpus ad militares labores idoneū habeat, & oris ſuauitatem præſeferat cum quodam terrore coniunctam, quo facilius hoſtes ſuperari poſſint, vt de Auguſto, & Ænea legitur, quorum illum aſpectu ſuauem & pulchrum, hunc vero pulcherrimum quidem, ſed Marte 2. terribilem, nemo rectis oculis potuit intueri. In ſenibus pulchritudo eſt, ſi corpus neceſſarijs laboribus idoneum habeant, ſique careant illis morbis, & incommodis, quæ illam incurrunt ętatem, vt de Maſsiniſſa Numidarum Rege legitur, quem præter cæteros omnes ſenectutis robore admirabilem fuiſſe Cicero tradidit, vt de Valerio Coruino, quem ſumma corporis dignitate. atque integris viribus, ad annum vſque centeſimum perueniſſe, memoriæ præditū eſt, neque vmquam à publicis negotijs deſtitiſſe. De pulchritudine ſiquis reconditiora exempla deſiderat, Platonis conuiuium legat, & doctiſſimi Martij commentarium, & eiuſdem Phedrum, & Dialogum de amore; ſi vero præcepta ad vſum Oratorium accommodatiora, Iſocratem legat in Helenæ Encomio, ſub finē,

qui

qui adeo pulchritudinem extollit, vt rem omnium maximè diuinam eſſe dicat.

In tertio genere ponuntur vires, & robur certandi, quæ ex eo intelliguntur, vt inquit Ariſtoteles, cum quis eam facultatem habet, vt alterum mouere poſſit, vel trahendo, vel impellendo, vel tollendo, vel deprimendo, vel collidēdo. Et ideo, ſi quis in his omnibus aut horum quibuſdam valebit, hic maxima laude extollendus erit. Laudatur Tritani filius Pompei Magni Miles, quod hoſtem ex prouocatione dimicantem arripuerit, & ſecum in Caſtra pertraxerit. Laudatur Iulius Valens, quod vehicula cum culeis onuſta ſuſtineret, donec euacuarentur. Laudatur Pittacus, quod aduerſarium ſuum rete deprehenſum, deinde genibus eius ventri impoſitis, interfecerit. Laudatur Hercules, quod Antæum ita ſublatum colliſerit, vt morte priuauerit. Solet etiam commendari corporis magnitudo, & proceritas, quæ proportionē dimenſionum habeat, ita vt altitudo, & latitudo longitudini reſpondeant; vt Virgilius à corporis magnitudine Turnum commendat. Ad decertandi robur tria requiruntur, magnitudo, vires, celeritas, quæ etiam aliquā promerentur laudem.

Poſtremo loco bonorum corporis, ponitur ſenectus, in qua duo, vt inquit Ariſtoteles, deſiderantur, videlicet, vt tarde adueniat, deinde, ne ſecum dolores & morbos afferat, & cum hoc bonum à continentia & frugalitate iuuentutis

naſcatur, libidinoſa enim, atque intemperans adoleſcentia, vt inquit Cicero, effœtum corpus tradit ſenectuti, poterunt ſenes laudari à temperantia, à continentia, à iuuentutis frugalitate, à temperata exercitatione, ab honeſtis animi voluptatibus, à vitæ tranquillitate, & quod tandem ab omnibus his abſtinuerint malis, quę, vt eos, qui ſe Chriſtianos eſſe profitentur, dedecent, ita ſenectutem incommodam, & moleſtiarum ac dolorum non omnino expertem, reddunt. Et quoniam inter corporis bona ſenectus poſtremum locum obtinet, de eaq., quatenus ad laudem refertur, ſatis dictum eſt, præcepta aliqua de vita proroganda ſubijcere volui.

De præceptis vitæ proroganda.

TRia ſunt, quæ hominis vitam prorogant, frugalitas, ac temperantia, labor, & corporis exercitatio, animi voluptas, & virtutes. Temperantiam ſanitatis matrem eſſe, ſapientes dixerunt, & omnium virtutum domicilium, & hæc non ſolum in tenuiſſimo victu ſpectatur, ſed etiam in Venereis potiſſimum voluptatibus fugiendis. Temperata corporis exercitatio ita corpus recreat, & reficit, vt alacrius, & promptius efficiatur; otio enim, non ſecus ac rubigine ferrum, corporis vires conſumuntur. Animi voluptas haud patitur, tam citò ſenectutem ſurrepere, diuturnamq. iuuentutem conſeruat:

ob

ob quam cauſam Democritus beatam vitam in tranquillitate vitæ, & lætitia poſuit, Lycurgus riſui tamquam Deo ſtatuam erexit; & Lacędemonios ad lætitiam inuitabat; Ariſtoteles 4. Ethicorum riſum ait, & iocum ad vitam degendam eſſe neceſſarium. Tandem virtutes, ex quibus incredibilis iucunditas percipitur, ſenectutem placidam ac lenem reddunt, qualis fuit Platonis, Iſocratis, & aliorum, qui in ſummo doctrinæ ſplendore adempti ſunt.

De bonis animi, ac primum de ijs, quæ ſunt in animo. Cap. 3.

CVm de corporis bonis dictum fuerit, ad ea quæ in animo ſunt bona accedendũ. Quod ſi (vt inquit Plato) corpus, & currus eſt, & equus, & carcer animi, cum eorum, vt vidimus, tanta laus ſit, quid de animo, quo a Deo nihil ſublimius, nihil dignius, nihil denique admirabilius creatum eſt, quoue cæteris homines animantibus præſtant, iudicandum?

Quare eum, quẽ laudamus, ſemper ea, de quibus hactenus, bona contempſiſſe, & ijs tanquam alienis vſum fuiſſe dicemus, eamq. potiſſimum ſui partem excoluiſſe, quæ immortalis eſſet; & quamquam incredibili eſt celeritate ingenij, ſingulari mentis acumine celeriter multa ſimul comprehendiſſe, eam admirabilem vim memoriæ habuiſſe, in eo

tamen veram laudem non potuiſſe, quippe quæ ſint nobis cum cæteris communia, corpus & vires cum animantibus, animus ipſe cum cæteris hominibus: itaq. nullum eſſe hominis ab homine, niſi virtutis diſcrimen. Vnde pręclare Seneca de beneficijs, eadem omnibus ait eſſe principia, eamdem originem, neminem altero nobiliorem eſſe, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, noti magis, quam nobiles ſunt: vnus omnium parens mundus eſt, ſiue per ſplēdidos, ſiue per ſordidos gradus. & Euripides: & fortes natura, & iuſtos, etiam ſi ſint parentibus ſeruis nati, nobiliores puto; omnibus enim vnum natura finem dedit, omnibus vnam originem, itaq. eum eſſe optimum, etiam ſi patre Æthiope natus. Hinc Seneca ad Lucillum. Rectus animus nihil aliud eſt, quàm Deus in humano corpore hoſpes. Vide S. Hieron. in Epiſtola ad Demetriadem, de nobilitate Iuuenalem. ſatira ſexta. Horatium primo ſermonum, ſatira ſexta. Salluſtium in Iugurtha. Poſſet præterea id oſtendi ab exemplis eorum, qui generis obſcuritatem illuſtrarunt, quorum exempla ab ijs repetenda ſunt, qui ea de re ſcripſerunt.

De ſingulis virtutibus.

VIrtutes omnes duplici genere cernuntur, aut enim cognitionis ſunt, vt ſcientię, quę ſpeculatiuæ appellantur, aut certe poſitæ ſunt

in actione, vt hę omnes virtutes, quę in conformatione rerum, & inſtitutione vitę cernuntur. Nam quatuor ſunt potiſſimum genera, iuſtitia, fortitudo, temperantia, & prudentia. Sed inter eas, vt recte docet Ariſtoteles, hæ maxime laudantur, quę ſunt ſocietati hominum vtiliſſimę; itaq. & iuſtitia, & fortitudo maxime laudãtur, quod & illa in pace, & hęc in bello, Reip. plurimum proſit; ſed in iuſtitia pręcipue virtutis ſplendor eſt maximus, ex eaq., vt ait Cicero, viri boni nominantur. Vnde bene Euripides, & poſt eum Ariſtoteles iuſtitiam lucifero Heſperoq. illuſtriorem, ſplendidioremq. eſſe dixit, & Plato, á teneris iuſtitię amorem infundẽdum eſſe, ſine qua nulla poſſit hominum coniunctio permanere. Bene Ageſilaus, quęrenti, vtra preſtaret, iuſtitia ne, an fortitudo, reſpondit, ſi iuſti eſſemus omnes in Repub. fortitudine opus non eſſet, quippe quę ſit iuſtitię tutrix.

Huius virtutis Cicero in partitionibus, ſub finem, ſex ponit formas.

Prima eſt Religio, & Dei cultus, in quo illud maxime videndum eſt, ſit ne is, quem laudamus in cultu Diuino frequentiſſimus, & omnis ſuperſtitionis hoſtis & inimicus, ſi pro ſua parte Dei cultum promouere, fidemq. proſeminare nitatur, ſi quid hac de cauſa effecerit, ſi peregrinationes in exteras regiones ſuſcepit, ſi ſumptus fecerit, ſi militauerit, ſi hęreticos quamplurimos confecerit, ſi denique exemplo omnibus prodeſſe conetur, ſi multus in orãdi ſtudio,

obeũdiſq. Diuinis officijs. Hęc vniuerſa, vt præcipua, primo loco poni poſſunt.

Secundum genus eſt, pietas in parentes, quæ primum in cultu, & obſeruantia, & debiti honoris delatione conſiſtit. Tum ſi in mœrore parentes conſoletur, ſi eorum dolores leniat, & mitiget, ſi in periculis opituletur, & ſubueniat, ſi, cum neceſſitas poſtulat, eis inſeruiat: præſertim ſi ab omnibus deſerti ſint, ſi in inopia ſuis ipſe facultatibus eos ſubleuet: immo vero ea eſt doctiſſimorum virorum opinio, (vti Nicocles in Pythagoram,) vt exiſtiment, ſeruitutem etiam parentum cauſa eſſe perferendam.

Tertium genus, quod proprio nomine iuſtitia appellatur, à qua viri boni nominantur, & bonitas à Cicerone in partitionibus dicitur, ea virtùs eſt, quæ nihil alieni in ſuam domum deijciat, ſed vnicuique, quod ſuum eſt, tribuit: huius primum vſus eſt, nec quis cui noceat, nec laceſſitus quidem iniuria. Infertur autem iniuria, aut metu, cum timemus, ne, ſi aliquem lædamus, ab ipſo afficiamur incommodo, aut certe pecuniæ cupiditate, quæ exiſtit, vel ad perfruendam voluptatem, vel ad beneficentiam, vel ad vitæ cultum, vel ad magnificentiam: incitamur etiam ad iniuriam faciendam gloriæ cupiditate, & ambitione. Secundum huius virtutis munus eſt, remouere iniuriam ab ijs, quos tutari debemus: & prætermittendi iſtius officij multæ poſſent eſſe cauſæ, cum inimicitias, aut laborem ſuſcipere nolumus, aut

ſumptus

ſumptus facere; aut certa negligentia, & inertia, denique vel ſtudijs litterarum, vel rei familiaris, ab hoc officio reuocamur. Præclariſſimũ vero illud iuſtitiæ huius officium eſt, cum non tantum id committimus, ne vnquam cuiquam faciamus iniuriam; ſed aut ferendis legibus, aut ęquitate adminiſtranda, diſtribuendaq. firmam hominum ſocietatem efficimus, quorum primũ legiſlatoris eſt, alterum iudicis. Huius eſt, vt nulla gratia, nullius auctoritate, nullis propoſitis, aut præmijs, aut periculis etiam capitis, vnquam à recta lege, & veritate diſcedat. Illius vero leges ferre, quæ publicam tantum vtilitatem ſpectent, ſine vlla ſuſpicione priuati commodi, & vt in illis hominũ ſocietatẽ lenitas retineat potius, quàm credulitas ſuppliciorum atrocitate reddat infeſtã: vt de Draconis legibus, q̃ humano ſanguine ſcriptę fuiſſe dicebãtur.

Quartum genus iuſtitiæ eſt fides, quæ à Cicerone fundamentum iuſtitiæ appellatur, eſtque in dictis, factisq. conſtantia.

Quintum genus eſt moderatio in animaduerſione: neque enim ſatis eſt, eum, qui deliquerit, iniuriæ ſuæ pœnitere, ſed pœna adhiberi debet, vt ipſe, ne quid tale poſthac cõmittat, & cæteri ſint àd iniuriam tardiores. Nam in omni animaduerſione hoc diligenter notandum eſt, ne quid ira, aut perturbatione animi fiat, ſed & in vultu, & in oratione ſeueritatem, grauitatemq. cũ lenitate cõiunctã retineat; deniq. efficere, vt ille, quẽ reprehendimus, eam obiurgationẽ ſua

cauſa exiſtimet fuiſſe ſuſceptã, & ſibi ipſe,cum culpam agnouerit, pęnam imponat.

Sextum caput,amicitia eſt,in qua hæc prima lex ſeruari debet, vt omnia amicorum cauſa, quę honeſta ſunt,nihil quod turpe faciamus.De officijs amicitię videant Ciceronem, & Ariſtotelem Ethicorum decimo.A iuſtitia igitur tamquam à fundamento, & ſentina aliarum virtutum poterit quis laudari; eſt enim virtus, vt inquit Ariſtoteles primo Politicorum, adeo neceſſaria, vt nullo modo fieri poſsit,vt ciuitas habitetur, ſi ea abſit; immo quarto eiuſdem operis ait, rempublicam ſtatim diſſolui atque interire,propter iuſtitię violationem, ideo Heſiodus eam eſſe Iouis filiam, & Virginem,quod iuſti viri Dei ſimiles ſint, atque integri,cenſuit.

De Temperantia.

CIcero in partitionibus,& in libro officiorũ, Temperantię nõmine eas omnes virtutes comprehendit, à quibus bene morati dicimur, in quibus maximus eſt ornatus vitę, omniſq. perturbationum animi ſedatio, et rerum omnium modus, vt in omnibus vitę officijs et partibus moderatio adhibeatur, nihilq. indecorum, nihil nimium ſit; vt hęc vna virtus beatitatem quandam videatur imitari. Vnde Plato in Charmide,temperantiam, vitæ hominum cuſtodem appellat. Idem in Gorgia præcipit, vt qui felix ac beatus eſſe velit, temperantiam exerceat.

exerceat. Zenophanes nihil in homine malum naſci poſse dixit, qui temperantiam, quæ ſapientiæ fundamentum eſt, amplexus fuerit. Sit ergo huius moderationis primum quaſi fundamentum, quo cætera vniuerſa nitantur, vt retineat ſua vnuſquiſque, non vitioſa, nihil contra naturam contendat: ſed videat, quid quiſque habeat ſui, eaq. moderetur, nec experiri velit: quàm ſe aliena deceant. Id enim quemq. maxime decet, quod eſt ſuum cuiq. maxime. Sed, cum nimia rerum omnium imitatio, quam aſſequi nequeat, prætermittenda eſt, tum vero maxime ea, quæ vitioſa ſunt, cauenda. primum ergo caput laudis, erit: ſi perpetuum, & æquabilem vitæ curſum ſequutus ſit natura duce: ſi numquam ab ea deflexerit, ſed eam Ducem magiſtramq. in omnibns adhibeat.

Sed multi ſunt vitæ ſtatus, quibus propria debent accommodari moderationis, decoriq. præcepta: ac primum quidem vnuſquiſque propriam ſibi quandamviam imprimit, & quaſi perſonam imponit, quam in hoc humanæ vitæ Theatro gerat, vt alij Philoſophiam, alij iuris prudentiam, alij medicinam amplectantur: Mercatura alijs placet, alij alias artes ſequuntur: vt autem in eo genere vitę, quod ſemel elegeris, perpetuam æquabilitatē retinere poſſis, debes ab initio certam quandam eligere viuendi rationem, & omnes actiones tuas ad eum tamquam ad finem referre. Pleriq. parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem, mo-

rumq.

remq. deducuntur. plerumq. tamen ab his diſcedimus, cum aut magnitudine animi maiora ſpectamus, vt qui ſunt obſcuris parentibus orti: aut id potiſſimum ſequuntur, quod in vulgo plurimum probatur, in quo plerumq. error, & peccatum in eligendo contingit. Sed ij demum laudandi ſunt, qui ab ineunte ætate, aut optimis præceptis imbuti, aut ingenij felicitate eã ſunt ingreſſi viam, quam conſtanter maxima ſemper cum laude tenuerunt: ſed in eligendo vitæ genere, potiſſimum Dei laudem ſpectare debemus, & eam amplecti, in qua maior Dei gloria, & laus eſſe poſſit.

Alter ſtatus eſt, in quo fuimus, aut à caſu, aut à fortuna poſiti: nam dignitates, Imperia, Magiſtratus, fortunę præmia ſunt. Debemus ergo in huiuſmodi ſtatum eam inducere perſonam quam res ipſa requirit: immo vero naturam ad id adducere & cogere, etiam ſi aliena ſit; vt, qui eſt in dignitate Imperatoria conſtitutus, debet ſe pro viribus ad maieſtatem componere. Ille ergo moderatus erit, qui, quod vnaquæque dignitas poſtulat, exequetur; vt, ſi iudex omnibus iudicis officiis, muneribusq. fungatur: itaq. ſi quem laudabimus iudicem, omnia, quæ in iudice requiruntur, ei accommodabimus.

Tertia videndi ratio ea eſt, quam à natura accepimus, quæq. nobis eſt cum cæteris omnibus hominibus communis: in quo illud eſt tamquam fundamentum iaciendum, vt videamus quantum hominis dignitas cæterorum animã-

tium

tium immanitatem antecellat, quod cum cognouerimus, & curam hominis, propriamq. dignitatem perſpexerimus, eam ſi cum perpetua æquabilitate retinuerimus, moderati vere, & temperati erimus. Sed ea temperantia potiſſimum verſatur in moderandis animi affectibus, qui quamuis multi ſint, poſſunt tamen ad duo genera reuocari, primo ad eam animi partem, quæ ea, quæ nocitura viderētur, repellit, & à philoſophis iraſcibilis appellatur, altera eſt, qua ſalutaria appetimus, & cupiditas nominatur. Itaq. ſi ratio, tamquam in arce conſtituta, ita illis affectibus imperet, vt, reductis remiſsisq. habenis, eos aut coerceat cum ſe efferunt, aut laxet, cum res poſtulat, is vere temperans exiſtimandus eſt.

Primum autem præceptum eſt, voluptates, ad quas potiſsimum cupiditas fertur, & præſertim belluinas, vt homine indignas, repudiare.

Secundum eſt moderatio in victu, vt ad cibũ valetudinis cauſa, non voluptatis accedamus, cum naturam ſciamus paucis eſſe contentam, nec expetere, vt deliniatur, ſed expleatur. Vide Senecam paſsim, ſed præſertim in libello de quatuor virtutibus moralibus.

Tertium eſt cultus corporis ſine ſordibus, ſed cum munditia non nimis exquiſita, ſed quæ fugiat ruſticam quandam, & agreſtē negligentiã, & potiſsimũ mulieroſum omne, & molle fugiendũ eſt, inceſsus non fractus feminarum more, nõ tard⁹, vt pōpar̃ fercula, nec cũ nimia celeritate.

Sed

Sed præſertim in ſermone, maxima adhibenda diligentia eſt, vt moderatio retineatur, à turpibus temperemus, ſermones vtiles magis, quàm faceti: miſcendi interdum ſerijs ioci, ſed temperati, riſus non immodicus, non pueriliter effuſus, non ſuperbus, non furtiuus, & malignus, non alicuius malis euocatus, parcior in laudando, parcior in vituperando, detrahens numquã, illud etiam videndum, vt viciſsitudine in ſermone vtamur, cedamus aliquando alijs, abſit perturbatio, vt eos, quibus cum ágimus, diligere videamur. Illud vero ineptiſsimum eſt, de ſuis laudibus in familiari ſermone apud alios prędicare.

Nec vero minor moderatio in actionibus adhibenda eſt; quod conſequemur, ſi loci, ſi temporis, ſi eorum, apud quos agimus rationẽ habeamus. Vide Cic. lib. officiorum, Senecam loco citato.

De Prudentia.

PRudentiæ nomine, Cicero cognitionem intelligit, ſic vt ea ſcientias vniuerſas comprehendat. Itaq. ad hunc locum referenda ſunt omnia ea, quibus aliquis laudari poſsit ob excellentem aliquam ſcientiam, atque doctrinam. Sed hoc potiſsimum notandum eſt, duo eſſe genera diſciplinarum; aliæ enim in ſola cognitione, & animi cogitatione verſantur: alijs vero neceſsitates quædam impoſitæ ſunt ad agendũ aliquid, quod hominum ſocietati vtile ſit. & quamquam in primis plus ineſt dignitatis, aliæ

tamen, quia plus vtilitatis habent magis laudantur, vt Theologia.I. prudentia, medicina, quarum omnium ſcientiarum officia noſſe debet Orator, vt ea, ad eum quem laudat, accommodet.

Sed ea demum vere prudentia nominatur, quæ in agendo poſita eſt, (nihil enim recte, nihil laudabiliter ſine prudentia geri poteſt,) & à Cicerone in partitionibus, parte de genere demonſtratiuo, diuiditur in domeſticã, & ciuilem: Demoſthene eſt, cuius præſcriptione familiam, bene ſapienterq. regimus, remq. familiarem adminiſtramus: De qua prudentia vide Ariſtotelem in Oeconomicis, & Xenophontem in dialogo, qui Oeconomicus inſcribitur, & ideo laudandus is maxime eſt, qui prudenter & ſapienter vitam inſtituit, atque totam familiã ſuam optima ratione moderatur. Ad ciuilem, quam Polyticã græcè dicimus, pertinet Reip. adminiſtratio, cuius munera numerãtur à Craſſo lib. 1. de Oratore, cognitio iuris, & legum Reipub., factorum fœderum, cauſæ denique ciuium ſociorumq., & referri debent ea, quæ ad boni ſenatoris inſtitutum pertinent. Hinc eos omni laude dignos iudicabimus, qui in adminiſtratione Reipub. ſe prudenter geſſerunt, vt apud Græcos Solon, Ariſtides, Phocion, apud Romanos Cato, Fabius, Cicero. Communia prudentiæ præcepta ſunt, primo, ne incognita pro cognitis habeamus, id diſcamus, quod ſcire poſſumus; eas autem ſcientas, quas animo complecti

plecti

plecti non poſſumus, refugiamus, de dubijs non definia mus, nihil inexpertum affirmemus.

Secundo, omnia ſuis momentis exiſtimare, & vnicuique rei tantum tribuere, quantum eius natura poſtulat, vt res caducas pro caducis, æternas pro æternis ducas.

Tertio, prudentis eſt non mutari, ſed eodem ſemper eſſe ſtatu, & provt temporis ratio poſtulat, ita ſe rebus non dare, ſed accommodare. Id autem conſequemur, ſi nihil ſine conſilio adhibito faciamus, ſi futura, & ea, quæ multo poſt euentura erunt, perſpicias, vt nihil, cum acciderit, ſibi improuiſum ſit, dicasq., non putarā, cum præſentia, & cum res poſtulat conſilium ex tempore capere, & ex rebus difficillimis ſeſe conſilio expedire, ſi præteritorum recorderis, vt in te, & in alijs videas, quod aut tu, aut alij ſequi debuerint, & ita ſe in poſterum inſtituere.

Quarto, in ijs, quæ inceperis, ſi bona ſint perſeuerare, quia incepiſti, nihil autem incipere quod malum ſit.

Quinto, nihil promittere ſine conſideratione, & ea, quæ ſemel promiſeris, cumulatiſſime præſtare.

Sexto, ſermo non inanis, ſed aut ſuadeat, aut moneat, aut conſoletur, aut præcipiat: lauda, parce, vitupera parcius.

Septimo denique, quod omnium præcipuum eſt, vt cum prudentia iuſtitia coniuncta ſit. Nā prudentia ſine juſtitia, calliditas potius exiſtimanda

manda eſt, quę hoc inuiſior, & ſuſpectior eſt, quod callidior, & verſutior exiſtimetur, detracta opinione probitatis, nullamq. habeat vim ad fidem faciendam.

Eſt autem prudentia vti ait Iamblicus virtutum omnium princeps, reliquis omnibus tamquam miniſtris vtens. mentis oculus vndique lucidiſſimus, per quam in primis Deo ſimiles efficimur, eſt præterea, vt ait Crito, mater, & dux reliquarum virtutum; quoniam virtutes omnes ad præſcriptum prudentiæ conſtituuntur: & prudentes dicuntur, qui non facile delinquunt, & de rebus ad beatam vitam ſpectantibus bene conſulere poſſunt.

De Fortitudine.

SEd ex omnibus virtutum actionibus ſplendidiſſima eſt ea, qua aliquid elato animo, humanaq. omnia deſpiciente factum eſt, vt vere Seneca, nihil eſſe aliud magnum dixerit, quã animũ humanũ, omnia, quę vulgo putantur, magna, deſpiciente. Itaq. & à Demoſthene virtutũ tutrix appellatur, & ſine qua cæteræ virtutes conſiſtere non poſsint. Itaq. aliæ virtutes opinionem afferunt probitatis, fortitudo vero admirationem potiſsimum parit. Hinc fit, vt tantopere hiſtoriarum lectione, atque adeo fabularum, quibus ſingularis, & eximiæ fortitudinis exempla narrantur, delectemur.

Vis autem fortitudinis in eo eſt, vt vnam vir-

tutem eſſe homine dignã, & cæteris rebus præferendã putemus, ad eamq; retinendã, & omnes animi affectiones coercendæ, & contemnendæ diuitiæ; ſpernendi honores, mors etiam: deniq; perferenda omnia: quæ formidoloſa videntur hominibus, eius cauſa fortiſſime adire, & conſtantiſſime retinere, & inuicto animo ſuſtinere.

Prima ergo fortitudinis actio eſt, fortunã, & omnia, quæ ab ea immittuntur, ſeu boni ſpeciẽ habeant, ſeu mali, contemnere: & primo, in rebus proſperis non inſoleſcere, diuitias, ſi non habeamus, nõ expetere, ſi habeamus ad liberalitatẽ in egentes potiſſimum conferre, vt ij, qui, repudiatis rebus humanis omnibus, diuitias pauperibus erogarunt, ſe Deo dederunt. Sed multo magis reprimenda eſt gloriæ cupiditas, & honorum, quia (vt ait Cicero) libertatem eripiũt; immo vero deponenda aliquando imperia, dignitates, præſertim ſi ratio Reipub. id poſtulet. In aduerſis rebus, aut arduis nec deijci, nec frangi debemus, ſed omnino fortunæ tela repellere, vt bonorum amiſſiones, exilia, orbitates, dolores deniquè, atque adeo ipſam infamiam, & ignominiam, Dei præcipue, tum vero Reipub. cauſa conſtanter perferre. Sed in eo potiſſimum fortitudinis ſplendor elucet, ſi quis non temere, ſed prius adhibito conſilio omnia pericula corporis adeat, & mortem aut pro fide, aut pro ſalute patriæ, aut denique pro virtute retinenda appetat.

Nec vero ſatis eſt, ea tantum vincere, aut con-

contemnère, quæ externa ſunt; illud vero præſtantiſsimum, ſeipſum vincere, ac præſertim iræ vehementiam, quæ in homine elatiſsima eſt, vt vel ob leuiſsimas occaſiones plerumque inflammetur, & exardeſcat ad vindictæ cupiditatem; quod perficere non poſsit, naſcitur odium, exulcerato animo adhæreſcens. Fortis autem animus nihil eſſe putat, quo commoueri poſsit, omnia animo ſuo minora exiſtimãs. Vnde Seneca de inimico dicit: non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit, & cum illum in poteſtate ſua viderit, vindictam putabit, vindicare potuiſſe. magnum enim vindictæ genus eſt ignoſcere, maius, ſi animo benefaciamus; pericula etiam, & labores pro illis ſuſcipiamus: deniq; ſi, vt Chriſtus, pro inimicis mortem appetamus, vt vitam ipſam conſequamur.

Eſt autem fortitudo, vt inquit Ariſtoteles, virtus, per quam homines res honeſtas in periculis intrepide aggrediuntur, eaſq; gerunt, vt lex præcipit. Hanc Cicero proprio nomine ſæpe virtutem appellat; Stoici fortitudinem virtutem dicunt pro æquitate, & honeſtate pugnantem: nam cum ea potiſsimum in periculis ſpectetur, fortis, is, tandem erit dicendus, qui honeſtas res aggreſſus, neque vllo timoris metu concuſſus, & præpeditus, vitam ipſam pro æquitate effundere eſt paratus: & idcirco Chryſippus fortitudinem ſcientiam ait eſſe rerum perferendarum, & animi affectionem in patiẽdo ac perferendo ſummæ legi parentem ſine timore.

more. Huius autem fortitudinis quinque genera Ariſtoteles, Ethicorum tertio facit, quæ prȩter illud ſolum, quod ſummȩ legi paret ſine metu, & timore, imperfecta ſunt; vt fortitudo ciuilis, quȩ honore, vel ignominia concitatur; fortitudo, quȩ neceſsitate prouenit, quam milites plerumq. habere ſolent, Imperatorum metu fortiores effecti. Tertia ab exercitatione proficiſcitur; quȩ in veteranis hominibus tantum reperitur: hi enim, propter aſsiduum in bello vſum, fortiores eſſe ſolent. Quarta ab ira oritur; eſt enim fortitudinis, cos, vt Virgilius.

Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira.

Tandem à ſpe obtinendæ victoriæ quando quidem ea homines longe fortiores efficit: hinc Imperatores ac Duces in bello ad pugnã milites cohortari ſoliti ſunt, propoſita ſpe victoriæ, vt Turnus apud Virgilium.

Quod votis optaſtis adeſt perfringere dextra.
In manibus Mars ipſe viri.

A liberalitate, magnanimitate, & magnificentia ſolent homines laudari. Vehementer autem, inquit Cicero, amor multitudinis, commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, omniumq. earum virtutum, quȩ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem. Eſt autem liberalitas, vt inquit Ariſtoteles, mediocritas in pecunijs, cuius laus in dando magis, quàm in accipiendo ſpectatur.

Libe-

Liberalitatis laude, Cimonem Athenienſem floruiſſe dicunt; qui quotidie domi conuiuium parari iubebat, quo pauperes turmatim conuenirent: ſi quem egere ciuem intelligebat, eum furtim collata pecunia adiuuabat. prædioru̧ ſuorum ſepes auferendas curabat, vt omnes arbitrio ſuo fructus percipere poſſent. Cæterum in liberalitate videndum eſt; primo, ne obſit benignitas, vt Cicero primo de officijs, de hac liberalitate verba faciens, dixit: deinde ne maior ſit benignitas quàm facultas. tandem, vt pro dignitate cuique tribuatur. Primo beneficia ſunt conferenda in patriam, & parentes, quibus maxime deuincti ſumus, deinde in liberos; vniuerſamq. domum, quæ perfugio noſtro plurimum confidit, tandem in propinquos, & alios, quibus commodè, & piè pecuniæ poterunt erogari.

Magnanimitas in eo potiſſimum ſpectatur, qui, contempta propria vtilitate, in alios quamplurima ſtudet conferre beneficia; nihil enim honeſtius, magnificentiusq. eſt, inquit Cicero, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas, ſi habeas ad benificentiam liberalitatemq. conferre. Magnanimi apud Romanos dicti fuerunt, Fabricius, & Curius, qui, contemptis diuitijs omne ſtudium, omnemque operam in Reipub. commodum, & vtilitatem transfundebant.

Magnificentia, quæ in his tantùm exiſtit, qui diuitijs, fortunæq. bonis copioſiſsimè affluunt,

virtus eſt, vt inquit Ariſt. quæ in ſumptibus faciendis amplitudinem ſequitur. nam pecunijs vnum, aut alterum ſubleuare, magnificentia dici non poteſt, ſed liberalitas: verum ea demũ magnificentia erit, publicis monumentis vrbem exornare, & totam aliquam ciuitatem pecuniarum multitudine adiuuare, vt de Cęſare Auguſto legitur, qui marmoream ſe vrbem relicturum gloriabatur.

A diſciplinis atque liberalibus artibus ſolent vehementer homines laudari, cum perfectibilem animum informent, & perficiant; tanto laudabilior quis erit, quanto diſciplinis inſtructior fuerit. Vnde Cicero Archiam Poetam ab ijs artibus, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet, & animum ad virtutem præparant ac percolunt, ſummopere commendat. Hæ autem ſeptem numerantur, Grammatica, quę primum ſibi locum vendicat, cum ſit quaſi parens, & procreatrix reliquarum, à qua, veluti ab vberrimo fonte, reliqua ſtudia proficiſcuntur, Rhetorica, Dialectica: his quatuor ſuccedunt, quas Mathematicas appellant, quarum prima numeros tractat, & græcè Arithmetica dicitur: hanc Mathematicarum reginam ſtatuunt, quod ſine ea reliquæ nihil poſsint. Secunda ſonorum harmonias docet, & Muſica nominatur, & omnem Poeticam artem complectitur, & modos omnes, qui vel voce, vel inſtrumentis varijs educuntur. Tertia menſuras conti-

contiñet, & Geometria vocatur. Quarta ſyderum curſus, ortus, occaſus, proprietates inueſtigat, & Aſtrologia dicitur, quare qui in his excellunt diſciplinis, ſumme laudandi ſunt.

Laudari etiam poſſunt, qui vel equorum ſtudio delectati, vel venatione, vel armis in ijs maxime excelluerũt. Vnde celebratur Alcibiades, quod equos aleret velociſsimos, quibus ab Olympicis victoriam reportaret. Cyrum Perſarum Regem ferunt, quotidie fere venari ſolitũ. & Mithridatem Regem tanto venandi ſtudio allectum, vt ſeptem annis, neque vrbis, neque villæ tecto vſus fuerit: eorum verò, qui armorũ ſtudio dediti, in his maximam gloriam adepti ſunt, prope innumera exiſtunt exempla.

Laudantur etiam, qui diuinis rebus ſumma cum Religione deſeruiunt, vt Scipio Africanus maximam laudem promeritus eſt, propterea quod nihil vnquam aggrederetur, niſi prius Deos ſalutaſſet, et rem ſacram feciſſet: vnde bene Cicero, rerum omnium agendarum principia à Dijs immortalibus capienda, dixit.

Cicero eos etiã iuuenes laudãdos cenſet, qui verecundi fuerint: eſt enim verecundia omnis honeſtatis parens, nutrix et cuſtos; vnde Pythias Ariſtotelis filia interrogata, qui color eſſet omnium pulcherrimus, reſpondit, qui per

verecundiam ingenuis oboritur; et Diogenes, cum vidiſſet adoleſcentem prę verecundia erubuiſſe, dixit, confide fili, talis eſt virtutis color. Seneca cenſet tamdiu eſſe aliquem bonæ ſpei locum, quamdiu verecundia in animo durauerit. Ecquid præſtabilius eſſe poteſt verecundia? quidue dignius excogitari adoleſcente, verecundo, & modeſto, nihil turpe aggrediente, ſed ea, quæ cum honeſtate coniuncta ſunt ſequente?

De bonis animi externis.

MAxima felicitatis pars, ſecundum bona animi, potiſſimum in ijs conſiſtit bonis, quæ, cum in animo non ſint, ad eum tamen referuntur. Sed; vt magna virtutis laus, itą & iſtorum prę ſertim bonorum, cum ſint tamquam ſplendor quidam virtutis, ipſius luce excitatus. Ea ſunt in triplici genere, alterum, gloria eſt: alterum ab ea profectus honos: tertium proſpera, & æquabilis fortuna.

De Gloria.

DEfinitur à Cicerone gloria, Illuſtris, & peruagata multorum & magnorum, vel

in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum: eamq. Ariſtoteles 4. Ethicorum, maximum omnium bonorum, quæ extrinſecus poſsūt accider, cęterisq. rebus vniuerſis, excepta vna virtute, antèponendam cenſet: Perfecta gloria, vt ait Cicero, ex tribus his conſtat: ſi diligit multitudo: ſi fidem habet. ſi cum admiratione, nos honore dignos arbitratur. Conciliatur multitudo, primo, fama liberalitatis, vt dictum eſt. 2. benefica voluntate, etiā ſi res non ſuppetat, tandē iuſtitia, & fide, omnibusq. ijs virtutibus, quæ pertinēt ad manſuetudinem morum, ac facilitatē, & ad quamplurimorum vtilitatem. Fides verò acquiritur prudentia, & iuſtitia, quoniam iuſtis & prudentibus omnes facillimè credunt, eoſque admirantur, quos virtute cæteros anteire perſpiciunt. Excitatur demum gloria fortitudinis laude; quare aliquem laudaturi, dicemus eum, gloriæ ſplendorem, non quidem falſa hominum opinione, aut adumbratæ virtutis fama, ſed propria virtute atque animi præſtantia ſibi comparaſſe, omnibusq. in rebus ſuis geſtis non diuitias, ſed nominis perpetuitatem aſſequi ſtuduiſſe, quam non diuitijs ſolum, quas ſemper contempſit, verum ipſi vitæ, præferendam duxit; neque eam quæ corpore, & ſpiritu continetur vitam putaſſe, ſed quæ omnium ſeculorum memoria vigebit. Bona nāq. exiſtimatio, & fama magis eſt curanda, quàm diuitiæ; vnde bene dixit ille apud Plautū

ego ſi bonam famam mihi ſeruaſſo, ſat ero diues: & Marcus Antonius hoc vtitur argumento, ſi bona exiſtimatio diuitijs præſtat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis eſt expetenda? Tandem, eò quis maiori laude dignus erit, ſi bonam apud homines virtutis, alteriusq. rei, quæ laudabilis ſit, exiſtimationem conſequutus fuerit.

De Honore.

AT gloria, cum in fama, & opinione hominum poſita ſit, honorum delatione declaratur: vbi enim eſt illuſtris omnium de alicuius virtute opinio, honor neceſſario ſequitur. Eſt autem honor ex Cicerone in Oratore, præmiū virtutis, iudicio ſtudioq. ciuium ad aliquem delatum: cum enim aliquis quapiam in re ſe præclare geſſit, & multis profuit, tunc honore dignus putatur. & quia honor ex gloria naſcitur, gloria verò beneficijs maxime excitatur, videndum eſt, qualia debeant eſſe ea beneficia, quæ honores mereantur, ea poterunt ad quatuor genera reuocari.

Primum eſt eorum, quæ ad vitam ſalutemq. pertinent, vt ſi quis ciuitatem obſidione; patriam tyrannide; ciuem capitis periculo liberauerit.

Secundum eorum, quæ ad opes, augendas & Imperij amplificationem ſpectant; vt ſi quis mul-

multas exteras nationes bello ſuperauerit, & Imperio adiunxerit.

Tertium earũ rerũ eſt, quę non facile acquiri poſſunt; ideo honorantur qui artes induſtria inuentas poſteris tradiderunt. hoc nomine multũ Platoni, multum Ariſtoteli, multum Ciceroni, cæterisq. antiquis, qui liberales diſciplinas, aut excogitauerunt ipſi, aut cum eas ab alijs rudes acceperint, ſuis numeris abſoluerunt, debetur.

Quartum, cum quid arduum, difficile, & formidoloſum, aut omnium, aut alicuius cauſa efficitur. Omnis enim honor, vt ait Ariſt. rebus difficillimis excitatur: res autem arduæ ſunt ſemper, adminiſtrare Rempublicam, magnitudinem & excelſitatem animi, cum perpetuo robore conſtantiæ retinere. Vel aliquo in loco, vt Taurini vbi quamplurimi Duces exiſtunt, virtute bellica cæteros anteire, vel ſi id aliquo tempore magnum erit, quod alio non magnam laudem mereatur; vt, ſi quis exhauſto ærario, dubijs, ac difficillimis Reipub. temporibus pecunias mutuas det. Denique efficiat, quod cæteri, aut propter rei magnitudinem, aut difficultatem ſubterfugerint, vt ſi quis cum cæteri fugiant, ſolus dimicet, & hoſtium impetum ſuſtineat, vt de Horatio Coclite legitur, qui ſuſcepto bello aduerſus Romanos à Porſena Hetruſcorum Rege, pro reſtitutione Tarquinij Superbi, cæteris fugientibus, ſolus hoſtem ſtrenuiſſime immaniſſimo equo inſidens ſuſtinuit, dum pons à tergo ab-

rumperetur, fugatisq. hoſtibus, patriam direptione, ciues capitis periculo, omnes tandem luctu, & timore liberauit.

Honoris Partes.

PRimo, diuini honores, qui Heroibus, clariſſimisq. viris propter inſignem aliquam virtutem tamquam Dijs decernebãtur: quippe qui ſua virtute promerebantur, vt in Diuorũ nũmerũ referrentur. Titio Flaminio, vt notat Plutarchus, tantũ honoris vniuerſa Græcia tribuit, quod illius ope, & auxilio à Macedonum Rege liberata eſſet, vt illi tamquam Deo libaret: Auguſto Cæſari viuenti Romani altaria conſecrarunt, & victimas immolarunt; ijs vero Chriſtiani, qui religionis, fideique propagandæ ſtudio accenſi, ab immaniſſimis, truculentiſſimisq. Tyrannis, immiti, ac crudeli morte affecti ſunt, & pro Chriſto multa pericula, acerbiſſimos dolores, corporis cruciatus ſuſtinuerunt, vitæq. ſanctitate cæteris præſtiterunt, diuinos honores tribuere conſueuerunt. Hoc amplificari poſſet ex feſtis diebus, ex ſupplicationibus, quæ Dijs immortalibus, in honorem eorum, à quibus Reſpub. fuit gubernata, decernebantur, ex templis, aris eorum nomini conſecratis.

Secundò, monumenta vel carmine, vel ſoluta

luta oratione ſcripta cum exoſculando ingenio viri, aliquem dignum eſſe exiſtimant, in quo exornando elaborent: præclari enim homines,qui virtutis ſplendore claruerunt, rebusq. præclare geſtis poſteritatem ſibi deuinxerunt, carmine, ſolutaq. oratione à Poetis,& Oratoribus celebrantur. Iſocrates namq; Euagoram Cypri Regem ſummis laudibus extulit, Cicero,Pompeium illuſtri natum familia: bellicaq. virtute inſignem, oratorijs adhibitis ornamentis, ſummaq. eloquentia exornauit, Virgilius Poetarum facile princeps, ſtricta oratione, Cæſaris Auguſti laudes proſequutus eſt.

Tertio, munera, & præmia; ſunt enim hæc virtutis indicia: vnde & ambitioſiſſimi munerum ſunt appetentiſſimi, non propter vtilitatem, ſed propter honorem, quem ſciunt cum illis eſſe coniunctum; multos enim hoc temporis decurſu ſtrenuiſſimos ac fortiſsimos viros, à principibus, torquibus aureis, pretioſiſsimis gemmis, veſtibus, auro, phrygioque opere elaboratis, & exornatis,immaniſsimis, ac ſpumantibus equis, quibus principes ipſi foris, domiq. vtebantur, ob inſignem aliquam fortitudinem donari ſolitos, ipſo oculorum coniectu videmus, in quorum numero eſt Sereniſs. & Inuictiſs. Carolus Emanuel Allobrogum Dux, Italiæq. Subalpinæ Princeps; qui quamplurimis honoris præmijs milites, ac Duces, quos, ſæuiente Marte, claſsicoq.

canen-

canente, inſigni aliqua virtute cæteros ſuperaſſe perſpexit, aut ſalte ñ audiuit, afficere ſolitus eſt, idq; eo conſilio, vt alij, virtutis præmio propoſito, in certaminibus fortiores exiſterent. Cic. pro lege Manilia, ſummo ſibi duxit honori, quod Præturam quaſi laboris ſui pręmium conſequutus fuiſſet.

Quartò, luci, qui Regibus, clariſſimisq; viris, vbi ex hac mortalium vita exceſſerint, conſecrantur.

Quinto, ſepulchra, ſi publicè honoris cauſa cxſtruenda curentur, vt Sulpitio, cum in legatione ad Antonium mortuus eſſet. Maximo fuit honori Ennio, quod in Scipionum ſepulchro conditus eſſet.

Sextò, ſuperiores loci in ſedendo, ceſſiones de via, primus in dicenda ſententia locus, quod vbiq; ſeruatur, vt honoris gratia, qui dignitate, & honore præſtat, huic ſuperior locus aſſignetur.

Septimo, imagines, & ſtatuæ, quæ honoris ergo eriguntur, vt Demetrio Athenienſes trecentas ſexaginta ſtatuas erexerunt, & Romani nouam in femina virtutem, nouo honoris genere ornare cupientes, Cloeliæ virgini equeſtrem ſtatuam in ſumma ſacra via ponendam curarunt, quod ea claro natalium ſplendore nata, cum alijs virginibus, Porſenæ Hetruſcorum Regi obſes data, deceptis cuſtodibus, vna cum reliquis virginibus incolumis ad ſuos per. riberim remeauerit, & patriã metu liberauerit.

Octauo, cibaria publicè data, vt apud Athenienſes, bene de Republica meritis victus publice in Prytaneo dabatur; quod etiam apud Principes hac noſtra tempeſtate obſeruatur; ſolent enim clariſſimos viros honoris gratia ſe adeuntes, hoſpitio ſumma comitate excipere, publicisq. cibarijs alere.

Nono, Adoratio, quæ vni Deo debetur, quã nonnulli Imperatores, cum nihil in rebus humanis maius ſe exiſtimarent, perperam ſibi vendicarunt, vt Cyrus Perſarum Rex, Alexander Magnus, deuicto Dario, & cum à Calliſthene reprehēderetur. Caius Caligula, & Diocletianus, quod contra Cæſar Auguſtus adeo eſt execratus, vt, ſi quis ad eum accedens, caput nimium flexiſſet, tamquam adulatorem expuliſſet, nolens honorem, qui Deo debetur, hominibus tribui. Honor omnibus ſuperioribus eſt exhibendus, & potiſſimum, ſi in aliqua prælatione ſunt conſtituti.

Decimo, conſpectus euitatio, quæ barbarica eſt, cum Principis ſe aſpectu indignos exiſtimãtes ne in illum incurrant, aut videant, diligenter cauent, quæ conſuetudo, vt Plutarchus refert, apud Perſas inualuit: nam cum Cyrus equo diſcurreret, Artoxerſes vociferabatur, & ita populi ſecedebant, & eum adorabant, quod etiam ipſi Turcę videntur retinuiſſe, & ab eorum maioribus factitatum eſſe legimus, quod etiam fit iſtis temporibus in illa barbaria Indiæ.

Poſtre-

Poſtremo loco munera ponuntur, quæ ſæpiſſime honoris gratia alicui fortiſsimo viro tribuuntur, quæ tanto ſunt præſtantiora, & pretioſiora, quanto à præſtantiore viro proueniunt. Vnde obſeruandum eſt, duo eſſe hominum genera, quæ muneribus facile capiuntur diuerſa tamen ratione auaros ſcilicet, & ambitioſos. Nam illi vtilitate tantum mouentur, quæ in muneribus eſſe ſolet; hi vero honoris cupiditate trahuntur, vtrumq. enim in muneribus ineſt.

Vltimum eorum bonorum, quæ ad hominem referuntur, eſt proſperitas, ſeu bona fortuna, omnia enim quæ ſunt, aut fiunt ad vnam trium iſtarum cauſarum referri poſſunt, ad naturam ſcilicet, artem, & fortunam, ars, & natura ratione aliqua fiunt, fortuna vero nullam videtur habere rationem, ſed tamen ſemper, vel cum arte, vel cum natura coniuncta eſt, vt vlcera curare artis eſt, ſed tamen, cum quis alia ratione curatur, quam medica virtute id fortunæ adſcribendum eſt, vt Iaſon Phæreus cũ internum abceſſum copioſam ſaniem emouente, ſeu vt alij dicunt vomicam haberet, quã medici, haud ſanare potuerunt, ab inimico in ea corporis parte, gladio percuſſus, expreſſa vlceris ſanie curatus eſt. ſic pulchritudo à natura eſt, ſiquis vero quamplurimos habeat pares deformes, & ſolus pulchritudine cæteros præeat fortuitum eſt. Proſperitas verò eſt tum, cum quis his fortunæ bonis aut omnibus aut plurimis, aut

certe maximis fruitur, ijs denique, vt ait Ariſtoteles, propter quæ alijs inuidemus, vt ſunt repentinæ tum dignitates, tum diuitiæ. Laus ergo ab hoc loco duci poteſt, ſi dixerimus eum, quem laudandum ſuſcepimus, perpetuo comitem habuiſſe fortunam, quæ eius ſemper interfuit conſilijs, actiones ipſas ad metam optatam direxit, ſecundoq; euentu perduxit. Si verò hic ſæpiſſime temerarius, & præceps eſſe viſus ſit, ſubijciendum eſt, hoc non obſtante, eum tamen rerum ſuarum feliciſſimos exitus oſtendiſſe, & id fuiſſe à virtute profectum.

Aliud Caput laudis à fortuna. Et mirabile eſſe, ſi in hac æquabilitate, & proſpero fortunæ curſu nullus fuerit, qui illi inuideret, idq; ſignum eſſe præſtantiſſimæ cuiuſdam virtutis, quæ id, quod in ipſa fortuna inuidioſum eſſe ſolet, obruit, & ipſos inuidorum animos ſua virtute, & benignitate placauit. Præterea ſi eum, quem laudamus, ſumma exercuit inuidia, aut æmulos habuit, tum demum dicendum eſt, nullum amplius aut illuſtrius eſſe virtutis ſignum; quam inuidiã, ijs enim inuidere homines ſolent, quos aliquid habere intelligunt, quo vt careant, maximè expetunt. Nam virtutis comes inuidia, vt inquit Cicero quarto ad Herennium, plerumque bonos inſectatur; mos eſt enim hominum, vt nolint eumdem pluribus rebus excellere, maximeq; inuident paribus, aut inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent euolaſſe. Superioribus ſæpiſsime

etiam inuidetur, & eò magis, ſi intolerantius ſe iactant, & æquabilitatem communis iuris, preſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt. Illud demum ſciendum eſt, inuidiam virtute partam, gloriam potius, non inuidiam putandam.

De Inuidia, & æmulatione, & odio.

QVoniam, vt dictum eſt, inuidia & æmulatio bonos & virtute præditos ſæpiſsime inſectantur, ne ignoretur, quomodo ij ſint laudandi, quibus ob aliquam virtutis felicitatem ſolent homines inuidere, quid inuidia ſit, propter quæ bona concitetur & quomodo homines affecti inuideant, oſtendere volui. Et primo, inuidia, quam Cicero inuidentiam ab inuidendo appellat, vt inquit Ariſtoteles Rhetoricorum ſecundo, eſt ægritudo quædam animi, concepta ex felicitate eorum bonorum, quæ fortunæ munere proueniunt; vt, propter opes, diuitias, honores, dignitates, & gloriam, cum hęc paribus ac ſimilibus eueniunt, non vt qui inuidit aliquod inde commodum ferat, ſed quia nolet eos, quibus inuidet, ea bona poſsidere: quæ inuidia in virum bonum aliena gaudentem felicitate nullo modo poteſt cadere, ſed tantum in ſceleſtiſsimos homines, quos maxime aliena felicitas excruciat; probus enim, vt

dixit

dixit Plato, inuidet nemini.

Ad inuidiam ſunt procliuiores, qui diuitias poſsident; cum enim alij s aliquod bonum contingit, id ſibi eripi exiſtimant, & ideo maxime diſcruciantur.

Qui honores aliqua in re ſunt adepti, qui ſapientiæ laude perfruuntur, magis inuidi eſſe ſolent; timent enim, ne aliorum rebus præclare geſtis, laus propria, & fama inobſcuretur.

Inuidiæ ſtimulis quoque agitantur ambitioſi, & quos gloriæ cupiditas commouet, qui ſapientes videri volunt. Nam, ſi quis laudem petat in aliqua facultate, ſi quem alium in illa intellexerit laudari, maxime diſcruciatur.

Inuidia tandem concitatur his bonis, ex quibus laus, honor, & gloria quæritur.

Æmulatio eſt quædam ægritudo, ſiue animi affectio, quæ ex bonis honorificis alterius naſcitur, cum quis non eadem poſſidet bona, quibus ſe dignum exiſtimet, quæ ſimilis ei ſit conſequutus. Hæc autem eſt duplex. Altera mala, cuius finis eſt odium, de qua Plinius: Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quàm æmulatio: & ea eſt, cum æmulator alieni boni, quod ipſe non habeat, inuidia exardeſcit. Altera bona, quæ eſt virtutis imitatio, cum quis velis ac remis contendit, vt ijſdem floreat bonis, quibus ille, quem imitatur.

Differunt autem æmulatio, & inuidia in hoc, quod illa in virum bonum cadit, ſtudentem eoſdem dignitatis, & honoris gradus conſe-

qui, quos ille, quem imitatur, conſequutus eſt? Inuidia vero, (vt dictum eſt,) in improbiſſimos ac ſceleratiſſimos tantum homines, alijs felicitatem inuidentes.

Æmulatio in adoleſcentes, & magnanimos viros cadit, ſolent enim eos potiſſimum imitari, qui in aliqua dignitate conſtituti ſunt, quippe qui laudem, & gloriam natura appetunt: quæ æmulatio, ſi ſine ſimultate ſit, qualis ea eſt, quam Quintilianus ait in litteris maxime profectus alere, laudabilis eſt; ſin ex ea inimicitiæ naſcantur, qualis fuit inter Fabiũ Maximum, & Scipionem Superiorem, inter Liuium Salinatorem, & Claudium Neronem vituperanda. ijs igitur præcognitis, ſi eum, quẽ laudam', inuidia exercuerit, dicere poterimus, animi bonis, & fortunæ, quibus ille copioſiſſime affluebat, eam concitatam fuiſſe, & ea repetere, quæ paulo antea dicta ſunt. Odium eſt ira inueterata. diſtat in hoc ab inuidia, quod inuidemus fortunato, odimus vitioſum, inuidiam profiteri erubeſcimus; odiſſe palam decorum eſt; inuidia hominum tantum eſt; odium reliquarum etiam animantium.

Quomodo hæc, quæ dicta ſunt, augeri poſſint.

CVm amplificatio, in qua tota vis Oratoris conſiſtit, demonſtratiui generis propria

pria ſit, hic de ea eiusq; modis præcipiendum aliquid eſſe videretur: verum quia communis eſt omnibus dicendi generibus, hic tantum indicabo, quomodo ex ijs rebus, quæ circunſtant, virtutis alicuius actionem maiorem poſsimus efficere.

Prima ergo circumſtantia eſt (vt hoc verbo vtamur) perſona ſi quæ, qualisue ſit, dicamus, tum de ſexu, de ętate, fortuna, dignitate, genere, maioribus, educatione, quę conſtat natura, doctrina, exercitatione, tum ſolicitudine ob virtutem.

Secunda eſt, res illa, de qua agitur, quę ex ſe ipſa maior & amplior effici poteſt; vt, exempli gratia, ſi quid in illa honoris cauſa potius quàm pecunię, ſi quid alterius potius, vt amicorum, beneficorum, patrię, atq; adeo inimicorum cauſa; tum verò vel maxime Dei potius, quàm noſtra ſuſceptum ſit; in quo vel maxime commemoranda ſunt, & excutienda, quæ quis non ſolum fecerit, ſed maxime ea, quæ perpeſſus ſit, ob virtutem & conſtantiam retinendam: vt ſi martyrē laudemus: poterimus omnia crudelitatis, & ſuppliciorū genera enumerare, & eorum accerbitatem, explicatis particulatim ſingulis, ob oculos ponere: tum, quo animo ea perpeſſus ſit; vt ſi non inuicto tantum, præſenti, & forti, verum etiam alacri. Quod de fortitudine dicimus, idem faciendum præcipimus in cæteris virtutibus.

Tertia eſt, qua, quibus inſtrumentis, auxi-

lijſq;quid quiſq; perfecerit, explicamus: vt primum, ſi quis ſolus, vt Horatius Cocles, qui ſolus in ponte hoſtium impetum excepit: ſecundo, ſi primus; vt ſi quis inuſitatum, & inauditum hactenus aliquod facinus ediderit in quolibet virtutis genere. Tertia, ſi cum paucis, vt de Leonida legimus, qui parua manu innumerabiles barbarorum copias decertando diutiſſime ſuſtinuit: deniq; ſi quis quid geſſerit, ac perfecerit, cum tamen ad id perficiendum humanis preſidijs omnibus deſtitutus ac deſertus eſſe videretur. Hic etiam poſſunt adiungi inſtrumenta, quæ appellantur paſſiua.

Quarta, tempus, vt ſi quis opportune ſubuenerit, idq; non cogitantibus, nec opinantibus nobis, idq; cum minus fieri poſſe videbatur, deniq; ſi quis eo tempore iuſtus, fortis, pius, temperans ſit, quo iſta omnia inter homines, aut nulla, aut exigua ſunt.

Quinta, locus, vt ſi quis virtutem inter improbos retineat, & quæ ſunt eiuſmodi. Sed id maxime animaduertendum eſt, ea eſſe laudanda maxime, quæ in ea regione ac ciuitate, vbi laudat, maxime celebrantur, & in pretio ſunt, eaq; dicere, non conſuetudine tantum, & recepto regionis more, ſed ratione, & per ſe eſſe laudabilia; vt, ſi quem Romanũ apud Romanos laudes, quia apud eos militaris gloria maxime celebratur, ab ea pręcipuũ caput laudis ducere debemus, eamq; dicere virtutem cæteris omnibus longe eſſe preſtantiorem.

Sexta eſt, finis, vbi, quis fuerit agentis animus, & quid ſpectauerit, dicitur.

Septima, explicat modum & rationem qua quidq. geſtum eſt; ſed iſta circumſtantia reuocari poteſt ad ſecundam.

Octaua eſt, id, quod nos euentum, ſiue conſequens poſſumus appellare, cum oſtendimus, quid, quamque actionem conſequutum ſit, eiusq. effecta omnia: hæc enim magnam dicendi copiam afferunt; vt, exempli gratia, ſi aliquẽ prudentiſſimum virum laudemus, cauſam inquitamus, cur clementiam ſimulauerit, cur vxorem interficiendam curauerit, cum humaniſſimus eſſet, tum quid euenerit, quid conſecutum ſit; ſed maximè videndum eſt, ſi quid excogitatum ſit primum, quo eius virtus compenſaretur; vt ſi nouum aliquod genus honoris.

Pertinent & illa ad amplificationem; ſuntque vel maximè in toto orationis curſu adhibenda, ſi quid magnum, ſi quid mirabile, ſi quid incredibile, ſi quid inopinatum, ſi quid ſignificatum monſtris, prodigijs, oſtẽtis, ſi quid ſit oraculum, ſi quid diuinum, ſi quid fatale. Non prætermittenda, quæ quis bene, ſapienter, commodè dixerit, atque adeo ſenſerit, ac cogitarit, & ſi quæ ſunt ſimilia. Cicero enim, pro Milone, in eo Milonem laudat, quod ſemper pro bonis contra improbos ſenſerit, quod propoſita inuidia, morte, pœna, nihilo ſegnius Rempub. defenderit.

De Collocatione.

CIcero, in prima partitionum parte, vbi de collocatione in genere demonſtratiuo loquitur, quinque conſtituit diſtribuendi modos: quorum primus eſt, cum temporũ ſeruantur gradus, ideſt, cum, vt queq; res primo geſta eſt, ita eam primo loco ponimus; vt, ſi totam laudationem diſtribuamus, in ea, quæ contigerunt, antequam naſceretur is, quem laudamus, vt ſunt genus, nobilitas, parentes: nam ad laudem plurimum refert, quod aliquis claris natalibus ortus eſſe dicatur; nobilitas enim, vt dictum eſt, eximius libertatis theſaurus eſſe putatur; in animis namq; hominum hoc inſitum eſt, vt quicquid magnum eſt, & admirabile, id à Deo profectum exiſtiment. hinc fit, quod Poetę, vt vberius multoq; copioſius clariſſimos viros laudibus extollant, illorum genus ad Deos referant; Romulum enim Martis filium dixerunt, Octauium Auguſtum Apollinis, Aeneam Veneris; Alexandrum Magnum Iouis Hammonis. Deinde ſi quid diuinum, ſi quid fatale, ſi quid ſignificatum monſtris, aut oraculis.

Secũdo, obſeruata annorum ſerie, eaq;, quæ aut ei contigerũt, aut geſsit in vita, à primo ſtatu ad extremum vitæ actum recenſenda, vt ſi quid inuſitatum in natiuitate acciderit; de educatione, quæ natura & doctrina conſtat;

quibus in prima ætate ſtudijs deditus fuerit, quos præceptores habuerit. Educatio enim plurimum momenti habet, vt Lycurgus duorum canum exemplo apertè declarauit, quorum alterum in venationibus exerceri iuſsit, alterum culinæ tradi, quo exemplo, educationem plus valere quàm naturam, docuit; quod enim naturæ deeſt, ſæpiſsimè doctrina, atque exercitatione emendatur. Plurimumque refert recenſere, quibus præceptoribus fuerit vſus, ſi probatis moribus fuerint; ſæpiſsime enim euenit, vt præceptorum mores in filios & diſcipulos migrent. Philippum Macedoniæ Regem, Alexandri Magni patrem, eo nato, ad Ariſtotelem ſcripſiſſe ferunt, non tam gaudere ſe, quod ſibi filius natus eſſet, quam quod ipſius Ariſtotelis tempore, à quo poſſet erudiri: de quo, Platonem Dijs gratias agere ſolitum, quod Socratis tempore natus fuiſſet, referunt: probitatis enim radix eſt, optimis artibus erudiri.

Deinde, in adoleſcentia, quàm temperatè vixerit, iuuenilem ætatem quàm fortiter, quam iuſtè, quam prudenter tranſegerit, denique quas res præclare geſſerit: & ſi de eo, qui iam è vita exceſſerit, quo genere mortis extinctus ſit, & tunc præcipuè, ſi aliquid in morte eius animaduerſione dignum fuerit: & quæ poſt mortem acciderint, quæ laudabiliorem virum efficere poſſunt; vt de ſanctis, qui poſt mortem multa ediderunt miracula. Tum demum addi

poterit, quomodo mortem conſtantiſſimè tulerit, & præ dolore numquam in deſperationem venerit; ſi de vita æterna nihil dubitauerit, ſed ad meliorem ſe vitam profecturum ſperauerit; ſi ſacramentis Eccleſiæ munitus in cœlum euolauerit. Hunc laudandi ordinem ſeruat Iſocratis in Euagoræ, & Helenæ laudatione. Cicero ſecunda Philippica, Perpinianus in laudatione Eliſabethæ. Vel certè contrarium ſequimur ordinem, vt ab vltimis incipiamus, & per gradus annorum aſcendamus ad prima, quo genere laudandi vſus eſt fermè Plinius in Panegyrico Traiani.

Secunda diſponendi ratio eſt, cum generum diſtributiones ſeruamus hoc eſt, cum totam laudationem in certa capita, & pauca tribuimus, & ad ea laudes omnes referimus; vt ſi primo diceremus de bonis, quæ fortunæ eſſe dicuntur, ſecundo de bonis corporis, tertio de bonis animi, in quo ſunt artes, ſcientiæ, virtutes: vel certe, quia laus omnis à virtute proficiſcitur, ſi ad quatuor virtutes omnia referamus, vt, ſi ad prudentiam quæcumque ille ſcienter, ingenioſe, callide, ſapienter geſſerit. Ad iuſtitiam, quæ iuſtè, legitimè, religiosè, verè, piè, amicè, beneuolè, liberaliter fecerit. Ad fortitudinem, quęcumque magno animo, conſtãter, fidenter, patienter, ſubiuerit, ad temperantiam denique quicquid modeſtè, decorè, temperatè, continenter factum ab eo fuerit.

Interdum etiam noſtro arbitrio genera quę-

dam in laudando excogitamus, & ad ea omnem laudandi rationem reducimus. Duo ſunt nobiliſsima Ciceronis exempla. Primum eſt vniuerſa accuſatio in Verrem, quam Cicero, prima oratione ſecundæ actionis, quatuor in partes diſtribuit, in quæſturam, legationem, preturam, &c. Et in illa extrema parte explicanda, eodem genere diſtributionis vtitur. nam primo de eius rapinis, in ſecunda & tertia; tum de ſacrilegijs; in quarta denique de cędibus iniuſtiſsimis Romanorum ciuium: tandem omnes Pompeij laudes ad quatuor genera reuocauit.

Tertius modus eſt, cum maiora queque in frõte ponimus, & ſenſim ad minora dilabimur. exemplum poterit eſſe eadem accuſatio in Verrem. Nam primo de rapinis, &c. In laudatione Pompei, primo eius victorias, tum ingenium, tertio pudorem, denique eius auctoritatem exprimit.

Quartus modus, cũ incipimus à minoribus, & quaſi per gradus ad maiora aſcendimus, vt in Verrinis actionibus, primo de rapinis, ſecundo de ſacrilegijs, tertio de cædibus: & in oratione pro lege Manilia, cum de virtute Pompei dicit, primum proponit, quemadmodum è ludo atque puerititię diſciplina ad patris exercitum profectus ſit; tum vt extrema pueritia miles fuerit ſummi Imperatoris; tum ineunte adoleſcentia, vt fuerit maximi exercitus Imperator; denique vt multa bella confecerit, & in-

ſignes

ſignes victorias reportarit.

Quintus, cum, nulla habita ratione ordinis, hæc inæquabili varietate diſtinguimus, vt ſi cū magnis parua coniungamus, ſimplicia cum coniunctis, obſcura cum dilucidis, læta cum triſtibus, incredibilia cum probabilibus.

De Vrbium laudatione.

NEque enim Dei tantū & hominum laudes ſunt, vt inquit Ariſtoteles Rhet. 1. ca. 13. tex. 345. ſed etiam aliarum rerum, & animantium, & anima carentium; Cicero enim multis in locis eloquentiam, & philoſophiam, & prouidentiam, quinta Tuſc. & ſecundo de natura Deorum ſummis laudibus extollit. Iſocrates in Panegyrico Athenas laudat, Plato in Atlantico, Ariſtides Romanæ vrbis Encomium conſcripſit, Cicero pro lege manilia Aſiam laudat ab vbertate agrorum, à varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur. Alciamas de laudibus mortis orationem ſcripſit, Fauorinus quartanam febrem, Lucianus muſcam laudauit; Plinius formicam admiratur, Luciniam miris laudibus extollit. Virgilius 4. Georgicorum apes ſummopere commendat, Ouidius pſitacum. ex quo apertè patet, nihil eſſe, quod non laudari, vel vituperari poſſit, licet Oratores frequentius homines laudent, quàm cæteras res, propterea quod vera laus ſoli virtuti debetur,

betur, quæ hominis eſt propria. hinc Græci funebres orationes primi inſtituerunt, vt ij laudarentur, qui pro ſalute patriæ oppetierant, hinc Panegyrici, in quibus non homines tantum, ſed & ciuitates laudabantur.

Vrbes, vt docet Quintilianus lib. 3. c. 9. laudantur, non ſecus atque homines, quæ ſi vetuſtiſſimæ erunt, nobiliſſimosq. conditores habuerint, digniſſimæ erunt, vt omni laudum genere illuſtrentur. Quamobrem Arcades de nobilitate tantopere gloriabantur, vt dicerent ſe natos ante lunam. Cicero pro Flacco, de Atheniẽſium ciuitate verba faciens, ſic ait: quæ vetuſtate ea eſt, vt ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, & eorum eadem terra parens, altrix patria dicatur. Iuſtinus lib. 2. tradit, inter Scythas, & Aegyptios de generis vetuſtate fuiſſe contentiones.

Primus igitur locus Vrbis laudandæ à conditore ducetur, & à vetuſtiſſima illius origine, ſi præſtantes fuerint, vt ſi vel litteris, vel bellica virtute inſignes, deinde à ciuium multitudine, & præſtantia, cum ſæpè eueniat, vt alicuius viri virtus eximia, vniuerſam ciuitatem clariorem, & illuſtriorem efficiat: nam, vt ait Cicero de ſenectute, Temiſtocles, Seriphio cuidam in iurgio reſpondiſſe fertur, cum ille dixiſſet, non illum ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſequutum, nec hercle, inquit, ſi ego Seriphius eſſem, nobilis, nec ſi tu Athenienſis eſſes, clarus vmquam fuiſſes: ex quo patet, vrbes,

& à vetuſtiſsima illarum origine, & à conditorum & ciuium præſtantia laudandas eſſe.

Secundus locus erit à cauſis, videlicet, cur in eo loco vrbem locare voluerit, eoq; cõſiliô fuiſſe dicendum, quod locus ille amœniſsimus eſset, muſis gratiſsimus, rerum omnium vberrimus, & fertiliſsimus, munitionibus aptiſsimus: vt non ſolum maxima vis hominum ali ac ſuſtentari poſset; ſed etiam exterorum locorum ſterilitas ſubleuari: tandem quod ſolaribus æſtibus non nimium ſubiectus, nec frigoribus nimium borealibus propinquus, ſed temperatione conſtitutus.

Tertius locus eſſe poterit de agris adiacentibus, de fluminibus, ſtagnis, piſcinis, montibus, de ipſo deniq; mari, aut vicino, aut vrbem alluente: vbi explicabitur, quanta vtilitas, quantaq; voluptas ex his capiatur. In his autem omnibus, quæ fructuoſa, quæue amœna ſunt, laudibus extolletur.

Quarto loco, explicari poterit, quomodo prudenter, iuſtè, piè, fortiter, temperanterq; viuatur. An ibi literarum, belliq; ſtudia erecta ſint, vt diuinarum humanarumq; rerum cognitione animi imbuantur, & quot quantoſq. viros vndequaq. doctiſſimos, & quo quemq; tempore vrbs tulerit, quæ ſcripta, aut eruditionis teſtimonia extent: poſtremo euenta narrabuntur, ſcilicet, an hoſtium impetum, obſidiones, oppugnationes ſuſtinuerit.

Quint⁹ loc⁹ eſſe poterit de felici virorũ ple.

Vltimo loco, fiet comparatio illius vrbis cum alijs, & oſtendetur hanc, quam ſuſcepimus laudandam, multis partibus alijs ſuperiorem, & origine, & conditorum præſtantia, à ciuium multitudine, a ſitu, a loci amœnitate & vbertate, à cæli clementia, ab agris, publicis munitionibus, tectis, mœnibus, aggeribus, auguſtiſsimis templis, immaniſſimis turribus, propugnaculis, ab euentis, hoc eſt, ab ijs, quę in ea feliciter geſta ſunt, vel a cauſis vrbis coditę. cætera Oratoris arbitrio committuntur. Virgilius Lib. primo Æneidos, de Carthagine.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Carthago Italiam contra, Tiberinaq; longè
Oſtia, diues opum, ſtudijsq; aſperrima belli.
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Poſthabita coluiſſe ſamo.

De Vrbe Roma Aen. 6.

En huius, nate, auſpicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo;
Septemq; vna ſibi muro circundabit arces,
Fœlix prole virum.

Tertio & ſecundo Georgicorum, ex ijſdem locis, Italiæ laudes elegantiſſime celebrat.

Res, vt Eloquentia, Philoſophia, Iuſtitia &c. laudantur. Primo ab illarum origine, ſcilicet quod à ſupremo rerum omnium conditore, ſi-

cut cætera omnia, profectæ ſint: deinde ab illarum effectibus, quomodo mortalium animos quos Deus ipſe perfectibiles quidem, imperfectos tamen quantum ad ſcientias, & virtutes creauit, perficiant, & ad honeſtatem, & gloriam accendant; vt ſi, exēpli gratia, de eloquētia verba faciētes, dicamus, quomodo afflictos cōſoletur, ſeditiones compeſcat, agreſtes homines ad humanitatem reducat. Si de litterarum ſtudijs, quomodo adoleſcentiam alant, ſenectutem oblectent, ſecundas res ornent, aduerſis perfugium, ac ſolatium præbeant, delectent domi, non impediant foris, pernoctent nobiſcum, peregrinentur, ruſticentur, &c. Si de ſapientia, quod ea nos doceat, (quod eſt difficillimum) vt noſmetipſos noſcamus: nihil enim ea hominum generi à Deo vberius, nihil florentius, nihil præſtabilius datum eſt, quod nos à libidinum impetu, & formidinũ terrore vendicet, & ipſius fortunæ modeſtè ferre doceat iniuriam, & omnes vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferunt. Si de prudentia, quod illius beneficio quid in quaq. re veriſſimum ſit, perſpiciamus, nihil temerè faciamus, res bonas expetamus, malas vero & noxias præeunte conſilio fugiamus. Si de Philoſophia, quod veluti omnium bonarum artium mater, & Dei ſingulare donum, nos primum ad verum Dei cultum, tum ad modeſtiam, magnitudinemq. animi erudiuerit, ab animo tamquam ab oculis hanc diſpulerit caliginem, vt omnia ſupera, infera,

prima,

prima, vltima, media videremus, quod ſit vitæ dux, virtutis indagatrix; vitiorum expultrix; quod vrbes pepererit, diſſipatos homines in vitæ ſocietatem conuocauerit, quod eos inter ſe, primò domicilijs, deinde coniugijs, tum litterarum, & vocum communione coniunxerit, leges inuenerit, mores & diſciplinas docuerit, vitæ tranquillitatem largita ſit, & mortis terrorem ſuſtulerit, & ſic de cæteris virtutibus, in quibus illarũ effectus copioſe explicandi erunt. Tum virtutem illã cum alijs conferemus, eamq. multis partibus præferendam eſſe dicemus. Tandem, rei ſuſceptæ difficultate propoſita, finem faciemus, oſtendemusq. vix vllam dicendi facultatem tantæ rei laudes non modo dicendo exęquare, ſed nec animo quidem cogitando aſſequi poſſe.

De Deliberatione.

DEliberatio de his tantum eſt rebus, quæ ab hominum voluntate pendent, & quarum principium agendi, aut non agendi in ea reſidet, vt deliberat Senatus, an de his qui à Principe defecerunt, ſupplicium ſumat, & capite condemnet. Quidam Senatorum, habita perſonarum ratione, ſuadet Senatui, ne defectores mortis condemnet, ſed vt ad Triremes tantum deſtinet; alter vero grauiſſimum ſcelus iudicãs à Principe deficere, & ideo publico vindicandũ ſupplicio, ſuadet, vt è veſtigio trucidentur, vt

alijs in exemplum tranſeant. Nunc in poteſtate Senatus eſt, vt aut hoc, aut illud faciat. De neceſſarijs enim & æternis, quæ humano conſilio haud poſſunt immutari, & de ijs, quæ non ſunt in poteſtate noſtra vt fiant, aut naturę repugnant, aut fortuita ſunt, nemo niſi fatuus, & inſulſus deliberare ſolet: nam omnino abſurdũ eſſet de eo deliberationem inſtituere, quod aut vires noſtras excedit, vt de excidendis immaniſsimis montibus, de perfodiendo iſthmo, aut de immortalitate, aut de theſauri inuentione, quę in fortunę arbitrio poſita eſt, cum hęc omnia, vt ait Cicero 2. de Oratore, à deliberatione remoueantur. Inciditur enim, inquit, omnis iã deliberatio, ſi intelligitur non poſſe fieri, aut ſi neceſsitas affertur. Quod ſi quando accidit, vt homines de neceſſarijs rebus, aut de illis, quę fieri non poſſunt, deliberent, id fit, quoniam eas eſſe tales non intelligunt: cum primum autem Orator oſtendit, aut alius quilibet, neceſsitatẽ aliter poſtulare, aut nullo modo fieri poſſe, non amplius deliberant. Pręterea tum maxime ſolet eſſe deliberatio, cum honeſtas ipſa certat cum vtilitate, aut cupiditate, vtrum ſcilicet dignitatẽ potius ſequamur, an vtilitatẽ, vtrum honeſta an vtilia complectamur: nam, vt inquit Cicero, ſi honeſta ſemper tenere poſſemus, non eſſet opus deliberatione aut conſilio; de eo enim quod maxime laudabile eſt, & animos hominum ad ſe naturaliter allicit, nulla eſt deliberatio, ſed id ſtatim amplectẽdum putamus;

nec minus de turpibus rebus, vtrum eas aggrediamur, nec ne, cum eas natura refugiat. Honeſtatis igitur, & vtilitatis contentio deliberationes efficit. Ariſtoteles Rheticorum primo, res maximas, de quibus homines deliberare ſolent, ait eſſe, quinque, nempe de vectigalibus, de bello, & pace, de cuſtodia regionis, de ijs quæ importantur, aut exportantur, de ferendis legibus.

Conſulturus de vectigalibus, quibus populus ſe alicui ſubiectum eſſe declarat, & quæ Cicero pacis ornamenta, belli ſubſidia, & Reipub. neruos appellat, cognoſcere debet, quot qualeſque redditus Ciuitas habeat, & videre, an maiores poſſint percipi, aut ſi fortaſſe ampliores erunt, quàm par, ſit imminui. Debet etiam cognoſcere ſumptus, qui fiunt in ciuitate, quo ſi ſuperuacanei eſſent, & modum, æquitatemq. excederent, de illis adimendis cõſulere poſſit: magnum enim vectigal eſt parſimonia, inquit Cicero.

Conſulturus de bello, & pace, ciuitatis ſuæ vires cognoſcere debet, & quas copias paratas habeat, quas facilè comparare poſſit, & quales ſint, vtrum robuſtę, an imbecilles, veteranorum militum, an tyronum; deinde bella præterita commemorare, & ex illis coniecturam facere: fieri enim ſolet, vt qui ſecundo ac proſpero èuentu acie contenderunt, ſimilem conſequantur felicitatem; tum in hiſtorijs maxime verſatus eſſe, & præterita bella geſta, ab eis præci-

puè, cum quibus fore bellum exiſtimatur cognoſcere. Deinde vires comparare, & ſi hoſtiles inferiores erunt, ad bellum hortari; comparatio enim in perſuadendo bello,& diſſuadendo maximam vim habet. Scipio enim,milites ſuos cum adhortaretur, vt audenti animo contra Annibalem progrederentur, ait. Ne genus belli, neve hoſtem ignoretis, cum ijs eſt vobis, milites,pugnandum, quos terra, mariq. priore bello viciſtis; a quibus ſtipendium per viginti annos exegiſtis; à quibus capta belli præmia, Siciliam & Sardiniam habemus: erit igitur in hoc certamine hic nobis,illisq. animus, qui victoribus, & victis eſſe ſolet, & quæ ſequuntur. Tum demum exponere, quem exitum hoſtes habuerint, qui cum cæteris gentibus bellum ſuſceperunt; ſolet enim ſæpè accidere, vt res ſimiles, etiam ſimiles exitus conſequantur. Ita enim Diomedes, vt refert Virgilius Aeneidos vndecimo,bellum contra Aeneam diſſuadet, ab infelici Græcorum exitu,qui cum Troianis bellum geſſerant, dicens.

O fortunatæ gentes Saturnia regna
Antiqui auſonij, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, ſuadetq. ignota laceſſere bella?
Quicumque Iliacos ferro violauimus agros
Mitto ea,quæ muris bellando exhauſta ſub altis,
Quos ſi mors premit, ille viros infanda per orbē
Supplicia, & ſcelerum pœnas expēdimus omnes,
Vel Priamo miſeranda manus, &c.
coeant in fœdera dextræ.

De

De Regionis cuſtodia dicturus, ſcire debet, quomodo regio præſidijs cuſtodiri poſſit, quibus copijs indigeat, & vbi ea opportunius, & cõmodius poſſint collocari; atque illud in primis cauere, & animaduertere debet, ne inutili grauentur ſumptu, qui interdum, vbi nulla bellorum neceſſitas vrget, minuendus eſt, & è contra augendus, quando opus eſt.

De annona conſulturus, ſcire debet, quæ ciuitati ſint neceſſaria, quibus abundet, & quibus egeat, quæ in ea oriantur, & quæ aliunde ſint petenda, idq. vt ad ineunda fœdera ciues poſſit cohortari: tandem, quibus legibus ſit ciuitas conſtituta, & ne inutiles ferantur; in ijs enim, vt inquit Ariſtoteles, totius ciuitatis ſalus eſt poſita.

De Fine.

IN deliberando, finis, ad quem in conſilio dando, ſententiaq. dicenda omnia referri debent, eſt vtilitas, vt inquit Ariſtoteles, à quo Cicero in partitionibus non diſſentit; ita tamẽ vt vtilitatis nomine honeſtas ipſa cõprehendatur, vt voluit Quintilianus c. 10, inquiẽs Delibe ratiuas quoque miror à quibuſdam ſola vtilitate definitas. Ac ſiquid in his vnum ſequi oporteret, potior fuiſſet apud me Ciceronis ſententia, qui hoc materiæ genus, dignitate maxime

contineri putat. Nec dubito, quin ij, qui ſunt in illa priore ſententia, ſecundum opinionem, pulcherrimam, ne vtile quidem, niſi quod honeſtum eſſet, exiſtimarint. Verum quoniam in deliberatione non ſemper honeſtatis per ſe rationem habemus, ſed vt ad aliquem fructum fortunarum, vel dignitatis, vel gloriæ refertur, ideo finis vtilitas potius, quàm honeſtas eſt, & ad demonſtratiuum genus potiſsimum ſpectat: ea enim eſt temporum conditio, vt qui ſententiam dicunt, de honeſtate non admodum ſoliciti, omnia ad vtilitatem referant, oſtendantq; ea facienda, quæ vtilia ſunt, licet omnino iniuſta: & hac de cauſa, Cicero, primo de officijs, oſtendit Corinthum à Romanis fuiſſe ſublatã, ne loci opportunitate bellum rurſus inſtaurari poſset. nec defuerunt, qui dicerent, ea omnia iuſta, & æqua eſſe, quæ Reipub: vſui & vtilitati eſſe poſsent; quod cum penitus abſurdum ſit, in ſuadendo, & conſilio dando cauendum maxime erit, ne ab vtilitate honeſtas ipſa ſeparetur, niſi forte apud indoctos, & agreſtes homines ſit dicendum, quibus quæſtus, emolumentum, fructusq. proponendus videtur; cum ij vtilitate potius, quàm honeſtate moueantur.

Quoniam igitur vtilitas cum honeſtate coniuncta in deliberando finis proponitur, ſciendum eſt, eam in diſcernendis bonis, & malis verſari, & vtile nihil aliud eſſe, quàm ea ſequi, quæ bona ſunt, & mala deuitare,

& ne-

& neminem perſuadere poſſe, ſententiamq. dicere, niſi qui bona & mala bene diſcernere didicerit. Bonum autem id eſt, vel quod per ſe, vel propter ſe eſt expetendum: per ſe, vt honeſtas: propter ſe, vt opes; vel cuius gratia ſolemus aliquid expetere, vt Pharmacum ab infirmo, quod ex eo commodam valetudinem ſubſequuturam ſperet; vt labor, quem vtilitas & gloria comitatur, vel id, quod res omnes, vel intelligentia, vel ſenſu præditæ expetunt, & concupiſcunt, de quo Cicero primo de officijs ait: Principio omni animantium generi à natura tributum eſt, vt ſe, vitam, corpusq. tueatur declinetq; ea, quę nocitura videtur &c. nullus enim eſt, qui propriam ſalutem non aſfectet. Tandem id eſt bonum, quod ratio in ſingulis humanis actionibus faciendum docet, quod prodeſse poſsit, vt labor in acquirendis ſcientijs, in amplificanda re familiari, &c. Bonorum præterea aliqua ſunt neceſsaria, vt ea, ſine quibus ſalui, liberivè eſse non poſsumus: quæ vel ad perſonam noſtram pertinent, vt vita, pudicitia, libertas, vel ad eos, qui nobis chariſsimi eſse debent, vt liberi, coniuges, germani, parentes, amici, qui idcirco etiam neceſsarij vocantur, quoniam ſine his humana vita ſalua eſse non poteſt; atque ideo hæc bona neceſsaria, reliquis omnibus bonis & commodis ſunt anteponenda. Illa verò bona, quæ non neceſsaria vocantur, uel ad animum pertinent, & per ſe ſunt expetenda,

vt virtutes, & vitia; vel ad aliquod commodum referuntur, vt opes, & copiæ. Per ſe expetere, eſt detracta omni vtilitate aliquid amplecti, & hoc modo honeſtas, & virtutes, & quæ conſequuntur, ſcilicet honor, & gloria ſunt expetenda: multos enim accepimus, qui, omni contempta vtilitate, pro æquitate, honore & gloria vitam in vltimum diſcrimen adduxerũt, ſanguinemq; effuderunt. Propter ſe expetere, eſt aliquid non tantum propter honeſtatem, ſed propter adiunctam vtilitatem cupere, vt ſcientiæ, artes, opes, & copiæ, quæ & honorem, & vtilitatem afferre ſolent. Bona, quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur: honeſtate, quæ à virtutibus proficiſcuntur. Commoditas, aut in corpore, aut in externis bonis ſpectatur: ea duplex eſt; aut cum ipſa honeſtate coniuncta, vt honos & gloria; aut diſiuncta: quæ vel corporis eſt, vt vires, forma, valetudo; vel fortunæ, vt nobilitas, diuitiæ, & clientelæ; Cicero in conſilio dando ſententiaq; dicenda hæc omnia diligenter obſeruauit: nam cum Senatus populusq; Romanus deliberaret, an contra Mithridatem bellum ſuſciperet, cum non poſſet oſtendere id neceſſarium eſſe, cum de ſalute, & libertate populi Romani non ageretur, quod proximum erat, arripuit, ſcilicet honeſtum, quod principem in bonis non neceſſarijs locum tenet, dicens: agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa maiores veſtri

ma-

magna & grauia bella geſſerunt: deinde à iuſtitiæ parte, quæ vindicatio dicitur, oſtendit honeſtum eſſe, vt Mithridates, qui Ciues Romanos necandos trucidandosq; curauit, puniatur. rurſus, quia in eo bello agitur gloria populi Romani, tandem ad bona propter ſe expetenda accedit, docens vtile id eſſe, quod in eo certiſſima populi Romani vectigalia, & maxima agantur. Iu Catilinam verò hæc omnia coniunctim poſuit, vt audientium animos magis commoueret. Quare, inquit, Patres Conſcripti, conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſeruate vos, coniuges, liberos, fortunaſq; veſtras, populi Romani nomen, ſalutemq; defendite. Sceleſtiſſimus ille in patriam conſpirator Catilina, ad nefarium facinus coniuratos hortans, vobis, inquit, eſt domi inopia, foris, æs alienum, ſpes multo aſperior, deniq; quid reliqui habemus præter hanc miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? en illa, quam ſæpè optaſtis libertas, præterea diuitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt, ex quo planum eſt, vtilitatem in bonis, & malis diſcernendis verſari.

De his, qui deliberant.

IN conſilio dando diligenter aduertendum eſt, qui ſint illi, qui deliberant, vt ad eorum opiniones oratio accommodetur, cum non ſemper

ſemper Orator veritatem ſibi proponat. Quare ſciendum eſt, duo eſſe hominum genera, alterum indoctum, & agreſte, alterum verò humanum & expolitum. Indocti, & agreſtes homines, qui belluarum naturam quodammodo imitantur, rebus omnibus voluptatem præferre ſolent: prudentes verò, qui beatam vitam ſola honeſtate, & dignitate metiuntur, eam rebus omnibus præferendam putant.

De eo, qui ſuadet.

HIs omnibus præcognitis, in omni deliberatione ſuaſori in primis videndum eſt, poſſit ne fieri, id quod ſuadet, nec ne; de his enim quæ effici non poſſunt, (vt dictum eſt) nulla ſolet eſſe deliberatio, quamuis & honeſta, & vtilia ſint: deinde an neceſſe ſit, aut non neceſſe. Nam aut id, de quo deliberamus, certum eſt poſſe fieri, aut incertum: ſi incertum, erit prima queſtio, quam ad coniecturalem poterit referre; vt, poteritne Sereniſſimus Dux Sabaudiæ, religionis Chriſtianæ infeſtiſſimos hoſtes debellare, Gebennam ad ſuam ditionem adiungere; poterit ne Cęſar Iſthmum perfodere, & an tenuiſſimæ fortunæ humanisq; viribus deſtitutus religioſus, Epiſcopalem dignitatem adipiſci, cum pauperrimus ſit, & multos habeat competitores, & aduerſarios. Si vero id, de quo deliberamus, certum eſt fieri poſſe, tunc maximè, illi videndum erit, an ſit neceſſa-

neceſsarium , ne ſuperuacanea aggrediatur. neceſsarium autem, hoc in loco, non eſt ſimpliciter intelligendum, ſed pro eo tantum, quod pertinet aut ad ſalutem, aut ad libertatem, quæ reliquis omnibus rebus, vel honeſtis, vel vtilibus anteponuntur, iuxta vulgatiſſimum illud axioma, Neceſsitas non habet legem: & Cicero in omnibus fere Philippicis, docet neceſsarium eſse, Antonium bello perſequi, & profligare, ſi Romani ſalutem, & libertatem tueri, & conſeruare velint. Tum videndum eſt, quàm facile poſsit fieri, quoniam quæ difficillima ſunt, talia ſæpè habentur, vt nullo modo fieri poſsint. Verum ſi id, de quo deliberatur,difficile atq. arduum erit,maxime ſibi elaborandum erit,vt oſtendat,difficilia ſępiſſimè fructu, & dignitate compenſari, tantumq. vtilitatis, & honeſtatis in ſe continere, vt difficultas omnis deuoranda paruiq. æſtimanda eſse videatur, vt, exempli gratia, ſi quempiam ad literarum ſtudia hortari voluerit, quæ principio maximam difficultatem habent, oſtendendum erit; in ſtudijs laborem quidem adhibendum eſse, cum omnia principia difficilia ſint; verum vbi aliquantulum in ijs proceſsimus, eas ſequi delectationes, voluptates, & vtilitates,vt, quicquid laboris ineſt,ſuperare ac ſpernere debeamus : & quoniam ſæpè accidit, vt de rebus magnis, quamuis non neceſsarijs deliberatio eſse ſoleat,ideo ſuaſor, eã rem, quam ſuadet,amplificare debet,& permagnam

eſse

eſſe oſtẽdere; quod enim permagni intereſt,pro neceſsario ſæpe habetur. Cicero, pro lege manilia, oſtendit bellum Mithridaticum permagnum eſse, & periculoſum, atque adeo ita neceſsarium,vt ſit gerendum. Eſt apud T. Liuium præclara P. Scipionis oratio, in qua & poſse Annibalem in Africa vinci demonſtrat, & ad dignitatem populi Romani, famamque apud Reges, genteſque externas pertinere; non ad defendendam modo Italiam, ſed ad inferenda etiam Africæ arma, videri Romanis animum eſse: & in primis, eſse vtile requieſcere aliquando diu vexatam Italiam, vri, popularique inuicem Africam. Poſtremo verò docere debet, id quod ſuadet, & vtilitatem in ſe plurimam habere, & ad exitum commode perduci poſse, & vt vno verbo dicam, debet ſuaſor in dicendo proponere ſibi honeſtum, vtile, iucundum, neceſsarium, poſſibile, facile, & hæc omnia ſimul probare, aut quotquot ex his potuerit. Et ſi apud nobiles nobiles viros ſententiam dicturus erit, laudem tantum, honorem, gloriam, fidem,iuſtitiam, omnemque virtutem proponet; ijs enim rebus ingenuus animus, ac bene educatus maximè commouetur; & ad res gerendas excitatur: ſi vero apud imperitã multitudinem agreſteſq. homines orationem habebit,è veſtigio de vtilitate,quæſtu,emolumento meminerit; ijs enim rebus maxime ducitur multitudo. Cicero de lege Agraria contra Rullum, ſtatim populo Romano proponit pacem,

liber-

libertatem, ocium, quibus maximè commouentur popularium animi; nihil enim magis amant plebei homines, quam in pace, & tranquillitate viuere, & libertate, atq. ocio frui. Quid enim, ait, eſt tam populare, quàm pax? qua non modo ij, quibus natura ſenſum dedit; ſed etiam tecta, atq. agri mihi lętari videntur. Quid tam populare, quam libertas, quam non ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtijs expeti, atq. omnibus rebus anteponi videtis? Quid tã populare quam ocium, quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri, & fortiſſimus quiſq. vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in ocio poſſit eſſe? At, pro lege Man. ſtatim gloriam proponit, cum ita inquit: Genus eſt enim eiuſmodi, quod maxime veſtros animos excitare, atq. inflammare debet, in quo agitur populi Romani gloria, quæ vobis à maioribus cũ magna in rebus omnibus, tũ ſumma in re militari tradita eſt. Neq. enim fieri poteſt, quin animus nobilis, audito gloriæ nomine, ſtatim commoueatur, cũ nulla tanta ſit humilitas, quę dulcedine glorię non capiatur, vt ait Valer. Max. Interdũ hęc omnia commiſcent in adhortatione, vt apud Salluſtiũ Catilina: Quapropter vos moneo vti forti, atq. parato animo ſitis, & cum pręliũ inibitis, memineritis vos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris veſtris portare; ſi vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, municipia atque coloniæ patebunt, & quæ ſequuntur.

Deinde voluptatem laudabit, nôn quod ſit honeſta, ſed quia imperiti homines eam maxime ſequuntur, & ad ea facilius impelluntur, quæ iucunda ac voluptuaria eſſe credunt; vnde ruſticus ille paſtor apud Virgilium, Alexi ſuo voluptatem & iucunditatem proponens, ad ſe inuitat.

Huc ades ò formoſe puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nimphæ calathis, tibi cãdida Nais
Pallentes violas, & ſumma papauera carpens
Narciſſum, & florem iungit bene olentis anethi.

Verùm notandum eſt, quod ait Ariſtoteles, voluptates eſſe ſpecie differentes; nam aliæ ad corpus, aliæ ad animum referuntur: quæ ad corpus attinẽt, omnino beluinæ ſunt, & ab omni ſapiente reprobantur: quæ ad animum, maximè laudabiles ſunt, & naturam attingunt humanam, atque in eis eſt animi tranquillitas, & beata vita, quod multis in locis Plato oſtendit. Poterimus igitur voluptatem etiam verè laudare, ſi de animi voluptate loquamur. Cum in omni conſilio dando, ſpes, & metus dominentur, in ſuadendo ſpem proponere debet ſuaſor, quæ concitatur enumeratione commodorum, quæ ſucceſſura dicuntur, vt præmiorum, gloriç, dignitatis, vtilitatis, aut contrariorum vitatione, vt pro lege manilia Cicero ſuadet bellum contra Mithridatem ſuſcipiendum, quod ea ratione Romani ſint gloriam ſuam, ſalutem ſocio-

rum

rum, atque amicorum P. Romani vectigalia, bona multorum ciuium conſeruaturi, quæ omnia commoda copiosè perſequitur.

In diſſuadendo vero, metum, & formidationem incutere debet diſſuaſor, incommoda, damna, ignominias, dedecora proponendo, vt idem Philippica decima tertia, diſſuadens pacem cũ Antonio, quod ea Reipublicæ pernicioſa ſit futura, quod maximum dedecus, & ignominiam ſit allatura, maximasq. calamitates importatura; quod denique vel nulla, vel non diuturna eſſe poſſit.

De Diſſuaſore.

N deliberando, debet diſſuaſor in primis oſtendere, ſuaſoris conſilium inutile eſſe; & nullo modo fieri poſſe, quod ab eo ſuadetur, & proponere ſibi turpe, damnoſum, moleſtum, ſuperuacaneum, impoſſibile; difficile, vt, exempli gratia, deliberet Alexander, cui res familiaris, & opes deſint, cuiq. ſit ingenium tardum & hebes, dare operam ſtudijs, vt doctoralem lauream conſequatur, oſtendatq. ſuaſor volenti nihil difficile, & rei familiaris inopiam ſtudijs non obſtare, omnemq. ætatem ad diſcendum eſſe aptam, & licet ſit ingenio hebeti, nihil eſſe quod aſſiduo ſtudio, amore, & delectatione effici non poſſit: ijs tandem enumeratis, quæ a literarum ſtudijs proficiſcuntur, diſſuaſor è contra debebit oſtendere, eos animi impotentes

eſſe,

eſſe, qui,quód effici non poteſt,aggrediuntur, & qui in ſummas miſerias ſunt adducti,in literarum ſtudia haud poſſe incumbere,nec minus in prouecta ætate,cum multi adoleſcentes,quibus ad ſuſtinendos ſtudiorum labores vires erant ſatis firmę,totam ętatem conſumpſerint, nec tamen multum profecerint,cum præſertim accedat,quod ſit ingenio hebeti,& ſtudia ingenium perſpicax & acutum deſiderent; & ideo fieri non poſſe, quod Alexander deſiderat,licet non neget literarum ſtudia & honeſta,& vtilia, & iucunda eſſe. Præterea deliberet Ioannes Baptiſta Lanceanus,an auguſtiſſimum aliquod tẽplum,vel Xenodochium conſtruat, dicatq. ſuaſor, illud opus Io. Baptiſtæ ſummum decus allaturum,& ab eo commode fieri poſſe, propterea quod diuitijs copioſiſſime affluat, diſsuaſor oſtendere debet,Io.Baptiſtæ ſumptum inutilem futurum, & eum ſatis iam gloriæ ſibi comparaſse. Et quoniam, vt dictum eſt, deliberatio eſt in medijs officijs, in quibus & honeſtas, & commoditas ſpectatur, proponatq. ſuaſor ei, qui deliberat,an vocatus ad aliquod legationis munus obeundum ire debeat, an fortunæ acquieſcere,rebusq. ſuis contentus viuere,dignitatem, gloriam, & honorem: diſsuaſori quies, rerum domeſticarum cura,vitæ tandem opportunitas commemoranda erunt. Quare in diſſuadendo plurimum valet efferre, & amplificare difficultates, & oſtendere,ad exitum rem deduci non poſse.

In

In ſuadendo, & diſſuadendo non ſatis eſt rationes afferre quibus aliquid faciendũ, aut non faciendũ oſtendat Orator, ſed eas exemplis cõfirmare debet; nã, vt Quintilianus ait nulli materiæ magis, quàm deliberationi conueniunt exempla, quoniam ex præteritis, quæ futura ſunt, coniectura aſſequimur. Ariſtoteles Ethicorum decimo ait, exempla magis mouere, quã verba & argumenta. Macrobius ſeptimo libro Saturnalium, Plebeia (inquit) ingenia magis exemplis, quàm oratione capiuntur: exemplis etiam fabulæ adduntur, vt fabula Menenij Agrippæ apud T. Liuium. Horatius.

Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris:
Ore trahit quodcumq; poteſt, atque addit aceruo.

Exemplorum duo ſunt genera, recentia, & vetera. Recentia maiora ſunt, atque ideo magis videntur animos mouere. Vetera verò quandam per ſe maieſtatem, atque auctoritatem maiorem ferunt. Cicero ſuaſurus bellum contra Mithridatem, multa ſtatim maiorum exempla commemorat, deinde eum locum ita enumerando concludit: Quare, ſi propter ſocios nulla ipſi iniuria laceſſiti maiores veſtri, cum Anthioco, cum Aetolis, cum Pœnis bella geſſerunt, quanto vos ſtudio conuenit iniurijs prouocatos, ſociorum ſalutem, vna cum imperij veſtri dignitate defendere?

Tandem in deliberando animi erunt mouen-

di, & interdum reprimendi. In mouendis animis ea quærenda, quæ illis motum ſunt allatura: & ea ſunt, quæ nobis optatos fines proponunt, vt ſi explendę ſint cupiditates, ſatiandum odium, vlciſcendæ iniuriæ; hæc enim tria ſunt, quæ homines vehementer expetunt: Hac arte Virgilius Annam inducit Didoni ſorori ſuadentem, vt cupiditatem ſuam expleat: ſic enim ait.

O luce magis dilecta ſorori,
Sola ne perpetua mœrens carpere iuuenta?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noſces?
& paulo poſt:
Placito ne etiam pugnabis amori?

Apud T. Liuium, Tanaquil Seruium generum ſuum ad inuadendum regnum excitat: Tuum eſt Serui, ſi vir es, regnum, non eorum, qui alienis manibus peſſimum facinus facere; erige te, Deosq. duces ſequere. Proficiunt etiam ſententiæ, quæ ad ſatiandum odium pertinent, vt apud Virgilium, ipſe ſecum Aeneas ita deliberat, de Helena interficienda.

Non ita; namq. etſi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentum
Laudabor pœnas, animumq. expleſſe iuuabit
Vltricis famæ, & cineres ſatiaſſe meorum.

Ita Lucretia, apud T. Liuium, virum, & patrē in Sextum Tarquinium adulterum inflammat: Sextus eſt Tarquinius, qui hoſtis pro hoſpite,

priore nocte,vi armatus,mihi,ſibiq.,ſi vos viri eſtis,peſtiferum hinc abſtulit gaudium. Tertio, ſententiæ illæ,quæ ad vlciſcendas iniurias pertinent, magnopere animos commouent;vt Cicero Quirites contra Mithridatem inflammat hoc modo: Maiores veſtri ſæpe,mercatoribus, ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt, vos,tot Ciuium Romanorum millibus vno numero, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?

Quoties vero accidet, vt reprimendi ſint,oſtendet Orator, quàm incertus ſit fortunæ ſtatus, quàm dubia ſint euenta rerum futurarũ,illosq.admonere debet,vt ſuas fortunas retineãt, pericula deuitent,vt apud T.Liuium Pater Horatij, qui ſororem interfecerat, cum incitatum populum reprimere vellet,ita inquit:Hunccine quem modo decoratum, ouantemq. victoria incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera, & cruciatus videre poteſtis?

In peroratione, ea omnia amplificanda,quæ honeſta, quæ vtilia, quæ neceſſaria,quæ iucunda, quæ procliuia eſſe dixerimus: & ſi ij, qui deliberant,fortunam habent ſecundam, admonendi, vt diligenter eam conſeruent: ſi aduerſam, periculum oſtentare.

Hoc genere, omnes fere Philippicæ orationes,& pro lege Man. & in Latin. continentur.

IVdiciale genus, quod Græce δικανικὸν vocatur, in quo eſt actor, & reus, accuſationẽ, atque defenſionem continet, vel petitionem, & recuſationem, quoties in iudicijs verſatur; verum cum eo frequenter in colloquutione familiari, & in epiſtolis vtimur, exprobrationem, excuſationem, inuectiuam, expoſtulationem, purgationem, querelas, obiurgationes, deprecationes, & huius generis alia, tanquam ſpecies quaſdam ſibi ſubiectas habet; cum enim reprehendimus, excuſamus, conquerimur, obiurgamus, deprecamur, inuehimur, in iudiciali genere verſamur. Finis huius generis eſt duplex, alter, qui ad genus ipſum pertinet, alter verò qui ad motus animorum adhibetur. Finis ipſius generis eſt æquitas; finis vero mouendi in accuſationibus eſt ſæuitia, in defenſionibus clementia. Eſt autem æquitas optima iuris ratio, quam nobis dictat ipſa natura, vnde bonæ leges profluunt, quæ deinde etiam ab ipſa reguntur: differtq. à iuſtitia, quoniam iuſtitia leges ad vnguem ſeruari poſtulat, & ſummum ius ſequitur, nihilq. de pœna vult remittere, nec magis diuitem quàm pauperem reſpicit, nec magis Principi, quàm priuato parcit; æquitas vero, quædam eſt iuſtitiæ remiſſio, atque, vt ita dicam, emendatio: & æquum, & bonũ nihil aliud eſt, quàm ipſum iuſtum cum clementia coniunctum. Accuſator dicitur quicumq; cauſam

agit,ſiue crimina inferat, ſiue aliquid ſibi debitum petat, vt pecuniam, agrum, domum &c. Defenſor verò, qui rei patrocinium ſuſcipit obiectaq. repellit.

De Statu.

EST autem ſtatus, ſiue conſtitutio, quam Græci ςάσιν vocant, ea quæſtio, quæ ex prima conflictione exoritur, ex intentione, & depulſione, hoc modo Alexander Io. Baptiſtam accuſans ait: Io. Baptiſta virtuti ac meritis diffidens largitionibus, aut pollicitis beneficium obtinuit, & ſimoniam commiſit, Auguſtus defenſor dicit, Io. Baptiſtam ſimoniam non commiſiſſe, nec pollicitis, aut largitionibus beneficium obtinuiſſe; nunc quæritur, an commiſerit, hæc quæſtio, ſtatus, vel conſtitutio dicitur, quoniam in ea tota cauſa conſiſtit. Et quoniam de vnaquaque re tria quæri ſolent: primum, an ſit res, nec ne, deinde quid ſit, demum qualis ſit, ideo & Rhetores hac ratione omnes ſuas cauſas diſtribuerunt. Primò enim quærunt, ſit nec ne id, de quo eſt controuerſia, & hunc ſtatum coniecturalem vocant, à coniectu, hoc eſt directione quadam rationis ad virtutem: quem ſtatum Cicero in Topicis inficialem vocat, eo quod fiat à reſpondente, & inficiante crimen, atque negante. in quo ſtatu ſunt omnes cauſæ,

in quibus factum negatur, vt pro L. Murena, pro Flacco, pro Sylla, pro Roſcio Am. Secundo quærunt, quid ſit, & hunc ſtatum definitiuum vocant, qui tunc accidit, cum factum quidem conceditur, ſed de nomine facti controuerſia eſt, vt Laurentius accuſat Petrum, quod arma contra præceptorem ſumpſerit, & ideo illius auctoritatem imminuerit: Curtius Petrum defendit, & concedit, arma quidem ab eo in præceptorem ſumpta fuiſſe, non tamen auctoritatem læſam: quæritur ergo, quid ſit auctoritatem lædere, vnde Cicero pro Aulo Cęcina quærit, quid ſit deijcere; pro Murena, quid ſit ambitum committere: dicitur autem definitiuus, quoniam id, de quo eſt controuerſia, definitione quæritur. in hoc ſtatu etiam, quo nomine aliquid afficiendum ſit, inueſtigatur, vt fuerit ne Iulius Cæſar Rex, an Tyrannus, an Dictator. Tertio quærunt, quale ſit, quod tunc accidit, cum, de facto conſtito, & de facti nomine, de qualitate eſt controuerſia, hoc eſt, vtrum ſit iuſtum, an iniuſtum, & hic ſtatus iuridicalis, ſiue qualitas communiter appellatur, vt, rectè nè Oreſtes matrem Clytemneſtram interemerit, in vltionem patris Agamemnonis, quem à Troia redeuntem illa cum Aegiſto adultero interfecerat; rectè ne Semiramidem matrem Ninus filius interfecerit, quod eius concubitum & congreſſum optaſset, quæ prius equi amore conflagrauerat; recte ne Artabanus ſpem nactus occupandi regni

Xerxem, ob res infeliciter in Græcia geſtas, in regia interfecerit: potuerit ne iure Flaccus exigere pecunias à Græcis, ad inſtruendam claſſem: iuſtè ne ſumpſerit arma Rabirius contra Saturninum. Ex quo patet, tres tantum eſſe ſtatus, coniecturalem ſcilicet, ſiue inficialem, definitiuum, & iuridicialem.

De ſtatu coniecturali.

Coniecturalis ſtatus eſt, in quo, an aliquid factum ſit, per coniecturas quæritur. Coniectura autem duobus confirmatur modis, veriſimilibus nempè, vel probabilibus, & credibilibus rebus, & proprijs rerum notis. Veriſimilia autem, ſiue probabilia ea ſunt, quæ plerumq. fiunt, & maiori ex parte veniunt, ſed non tamen ſunt neceſſaria: vt, adoleſcentes ad ludos & voluptates ſunt procliuiores, ſenes ad auaritiam; & tamen continentes iuuenes, & liberales ſenes inueniuntur. Propriæ rerum notæ, quæ alio nomine indicia, & argumenta vocantur, rem certam, & indubitatam declarant, vt, ſi ſpiritum ducit, ergo viuit; ſi ſumus eſt, ergo ignis; ſi concepit mulier, ergo cum viro concubuit.

In coniecturali ſtatu ſpectanda ſunt, perſonæ, loca, tempora, facta, euenta, rerum negotiorumque naturæ; in perſonis duo con-

ſiderantur, natura, & fortuna: natura duplex, corporis, & animi.

In corpore ſpectantur valetudo, figura, vires, ætas, ſexus; valetudo bona ne ſit, an mala; figura, pulchra an deformis; vires, an robuſtæ ſint, an imbecilles; ætas, an puerorum, an adoleſcentium, an ſenum; ſexus, an mares ſint, an feminæ. In animo ſpectantur habitus, & perturbationes. Habitus, vel boni ſunt, vt virtutes, & artes; vel mali, vt vitia; & inertiæ. Perturbationes, vel futuri temporis ſunt, vt cupiditas, & metus; vel præſentis, vt voluptas & moleſtia. Virtutes principales quatuor ſunt, Fortitudo, Iuſtitia, Temperantia, & Prudentia.

In fortuna ſpectantur, primo loco genus, ſecundo amicitiæ, tertio liberi, quarto propinqui, quinto affines, ſexto opes, ſeptimo honores, octauo poteſtates, nono diuitiæ, decimo, libertas.

Loca, vel naturalia ſunt, vel fortuita: naturalium quinque ſunt differentiæ, ſcilicet maritimi ne ſint, vt Corinthus, Tarentum; an remota à mari, vt Roma; plani, an montuoſi; leues, an aſperi; ſalubres, an peſtilentes; opaci, an aprici. totidem ſunt fortuitorum, ſcilicet, culti, an inculti; celebres, an deſerti; coædificati, an vaſti; obſcuri, an nobiles, conſecrati, an profani.

Tempora, aut ſunt præſentia, aut præterita, aut futura. in quibus etiam conſideratur,

tur, an naturalia ſint, aut fortuita: naturalia, vt quattuor anni tempora, ſcilicet Hyems, Ver, Eſtas, Autumnus. Fortuita, ſacrificia, dies feſti, nuptiæ, facta & euenta ſunt explicanda. Facta aut à conſilio, aut ab imprudentia proficiſcuntur, vt ſi quis ex profeſſo alicuius interficiendi conſilium capiat. Imprudentia aut à caſu, aut ab animi permotione prouenit, à caſu, vt ſi quis aprum cupiat interficere, & hominem illac tranſeuntem occidat. permotione animi, vt ſi quis iracundia motus, vel amore captus mortem alicui inferat. In permotione ſunt obliuio, error, metus, cupiditas. Tandem in coniecturis conſideranda eſt rerum natura, ſint ne bonę an malæ.

Signa à veriſimili in hoc differunt, quod veriſimile generalia comprehendit, ſignum vero ſingularia: veriſimile ad opinionem, & intelligentiam refertur, ſignum autem ad ſenſum.

Signa autem, quæ ſunt quaſi facti veſtigia, hæc erunt, telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, ſi præparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea viſum, auditum, indicatum.

Exempla ſtatus coniecturalis ex Cicerone deſumpta.

ACcuſatur Roſcius parricidij. Cicero à perſona Roſcij primo oſtendit, eam non modo à parricidio, cuius accuſabatur, ſed etiam ab omni ſcelere, & flagitio remotiſſimam fuiſſe, quod Patris iuſſu domeſticarum rerum curam ſuſcepiſſet, in quibus vehementer occupatus erat, quod vitæ integritate floreret, docens, multo probabilius eſſe, quod ab aduerſarijs omni vitiorum genere contaminatis, rei familiaris inopia laborantibus, Roſcij patris infeſtiſſimis hoſtibus interfectus fuerit, deinde loca tractat, quod Romæ mortem obiuerit, filius autem Ameriæ in rebus ruſticis occupatus eſſet: tum à tempore, argumentatur, oſtendens, eum veſperi à cœna redeuntem morte affectum fuiſſe; tum à factis aduerſariorum eos cædis auctores fuiſſe probat. Præterea ab euentis, quod filius inimicorum minas, & tela fugiens Romam venerit, cauſæ ſuæ patronum quæſiturus; tandem oſtendit, non alia de cauſa Roſcium accuſatum fuiſſe, niſi, vt, eo condemnato, aduerſarij bonorum Roſcij tutè potirentur.

De

De ſtatu definitiuo.

DEfinitiua conſtitutio ea eſt, qua definitione, quid res ſit, explicatur. Eſt autem definitio oratio indicans, quid res ſit, per ea quæ ſunt de eſſentia, & ſubſtantia rei, ſine quibus rei natura perfecte cognoſci non poteſt, vt, exempli gratia. Homo eſt animal rationale. Differt autem à deſcriptione, etymologia, & interpretatione, quoniam deſcriptio rei naturam explicat per accidentalia, ideſt, per ea, quæ rei naturam conſequuntur, vt: Homo eſt animal rectum, riſibile, & beatitudinis capax, &c. Etymologia terminum notum per alium magis notum, & prius notum apud addiſcentem in eodem idiomate explicat; vt ſol, quaſi ſolus lucens, & cœlum, quaſi hæc inferiora celans.

Interpretatio vero, eſt vnius termini declaratio ex vno idiomate in alio, vt phyſis Græcè, natura apud Latinos appellatur. Definitio conſtat ex genere & differentia. Genus commune eſt. Differentia vero facit differre definitum à quocumque alio; vt, rationale, in definitione hominis, facit eum differre à quocumque alio non habente rationem. Verum quoniam vltimæ differentiæ, quibus definitum ab alijs differt, rariſſimæ ſunt, ideo ad communia accidentia confugiendum eſt.

Duo-

Duobus igitur modis Oratoria definitio fieri poteſt, proprietate, & communium frequentia. Proprietas eſt, quæ alicui rei ita conuenit, vt eam ab alijs omnibus ſecernat: vt, prudentis eſt nihil temere agere, iuſti hominis nulli obeſſe, fortis mortem non timere, temperati luxus omnes, voluptateſque Venereas deſpicere. Definitiones, quæ ex genere, & proprietate conſtituuntur, multæ ſunt, vt Grammatici officium, emendate loqui, Rhetoris, polite dicere, Dialectici, acutè diſſerere, Phyſici, rerum cauſas explicare. & quoties in rerum proprietate reperienda laboramus, ad communia, ex quibus ea elucere poteſt, confugiendum: vt Cicero pro Milone, populi grati eſt, præmijs afficere bene meritos de Repub. ciues, viri fortis, ne ſupplicijs quidem moueri, vt fortiter feciſſe pœniteat. Si verò de rei proprietate controuerſia naſcatur, tunc ad contraria, ad diſſimilia, ad paria confugiendum eſt: vt, exempli gratia Cicero, pro A. Cæcina, cum Ebutius negaret A. Cæcinæ vim factam fuiſſe, definit, quid propriè ſit facere vim, oſtenditque a contrarijs, diſſimilibus, & à paribus vim factam fuiſſe. A contrarijs ſic: Nec æquitati, inquit, quicquam tam infeſtum eſt, quàm conuocati homines & armati. A diſſimilibus, cum docet aliam vim intelligendam eſſe in bello, aliam, cum de iure, & legitimis hominum controuerſijs loquimur: quoniam Ebutius dicebat, tunc propriè vim fieri, cum aliquis aut interficitur, aut vulneri-

bus

bus afficitur, quod Cicero inficiabatur, dicens vim ei fieri, qui mortis periculo iniecto, de loco, & ſtatu dimouetur. A paribus ſic probat: Sicuti Caio Friſoni vis fieret, ſi in domum ſuam ingredi prohiberetur, ita Cæcinæ facta vis eſt ab Ebutio, cum in fundum ingredi prohibitus eſt.

In definitiuis controuerſijs deſcriptio, enumeratio conſequentium, & explicatio vocabuli &c. plurimum valent. Deſcriptio fit ex accidentium congerie, cũ ea fuſius explicantur, quę perſonis, & negotijs attributa ſunt: vt idem pro A. Cæcina: dici in hac cauſa poteſt, vbi arma fuerint, vbi coacta hominum multitudo, vbi inſtructi, & certis locis cum ferro homines collocati, vbi minæ, pericula, terroreſque mortis, ibi vim non fuiſſe? Enumeratio conſequentium fit, cum ea enumerantur, quæ aliquid conſequi ſolent; vt, in eo neceſſe eſt virtutem eſſe, qui ab omnibus ametur, quem omnes ſuſpiciant, venerentur, & admirentur. & Cicero pro eodem A. Cæcina. Ea vis eſt, quæ periculo, aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. Denique vocabuli, ſiue nominis explicatio fit, cum, quid ſit id, de quo eſt controuerſia, explicatur, vt cum quæritur, quid ſit homicidium, quid ſacrilegium, quid furtum, quid ſit vim facere, quid ſit maieſtatem, aut auctoritatem minuere. Cicero octaua Philippica: Quid enim tumultus, niſi perturbatio tãta, vt timor maior oriatur, vnde etiã nomen ductum eſt, tumultus?

De Iuridiciali ſtatu.

IVridicialis Conſtitutio ea eſt, in qua, cum de facto, & de nomine facti conſtat, quale factum ſit, quæritur. Hæc, ſecundum Hermogenem, aut habet controuerſiam in re, aut in verbo: ſi in verbo, legitima conſtitutio vocatur; ſi in re, rationalis dicitur: quæ etiam duplex eſt, aut enim de futuro deliberationem habet, & dicitur negotialis; aut eſt de præterito & δικαιολογία dicitur, de qua multa Quintilianus, & Cicero. Huius conſtitutionis partes ſunt duæ, quarum altera abſoluta dicitur, altera verò aſſumptiua. Abſoluta eſt, cum iure factum reprehenditur idque quatuor potiſsimũ modis fieri poteſt, vel lege, vel conſuetudine, vel quia nulla ſit prohibitio, vel quia concedatur ab omnibus. Lege, vt ſi quis accuſetur, quod nocturnum furem interfecerit, lege duodecim tabularum ſe defendet. Conſuetudine, vt ſi quis accuſetur, quod Bacchanaliorum tempore perſonatus inceſſerit, defendet ſe, quod nulla ſit prohibitio: & ſi quis accuſetur, quod ſæpè conuiuetur, & veſtimentorum elegantia vtatur, defendet ſe quod hæc nullo iure depellantur. Aſſumptiua eſt, cum aliquid neceſſario extrinſecus aſſumimus, ad factum defendendum, vt vlciſcendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut neceſsitate, aut inſcitia, aut caſu. Vt, exempli gratia

gratia, Oreſtes accuſatus, quod matrem Clytemneſtram interfecerit, ſe id in Patris Agamenonis ab ea interfecti vltionem feciſſe dixit; Ninus accuſatus, quod Semiramidem matrem enecuerit, ſe ideo id feciſſe dixit quod mater eius concubitum, & congreſſum optaſſet. Artabanus accuſatus, quod Xerxem in Regia, morte affecerit, in hoc crimen transfert, quod is otio ſocordiæq. deditus, relicta militia, præmium, nouum luxuriæ genus inueniētibus propoſuerit. Pietatis, vt ſi accuſetur Melchior, quod Sillæ mortem minatus fuerit, quod ab eo parentes ſui, & conuitijs affecti, & perpetuo ſollicitati, ac diuexati fuerint.

Pudicitiæ, vt ſi quis Petrum in ius vocaret, ꝙ filię, aut ſorori mortem intulerit, ne, inquiat, libidini Io. Baptiſtæ obſequeretur, aut, ne corpus quæſtui exponens pudicitiam venalem haberet. Religionis, vt ſi accuſetur Tarquinius, quod Laurentium ſacrilegum baculis obruendum curauerit, quod res ſacras diuinoq. cultui adſcriptas ſublegerit. Patriæ nomine, vt ſi quis accuſetur, quod filium confoderit, quod in patriæ, aut Principis proditionem cum alijs ſceleſtiſſimis conſpirauerit.

Neceſſitate, vt ſi quis accuſetur, quod alicui vitam ademerit, quod timeret, ne ab eo occideretur; aut ſi quis in iudicium vocatus dicat, ad diem ſe venire non potuiſſe aquis & torrētibus impeditum. Inſcitia, vt ſi quis, exiſtimans filium, aut ſeruum verberare, familiarem quempiam

piam ſe adeuntem percutiat. Caſu, vt ſi ignem ferens, domum incendat, vel iaciens ferrum in ſcopum, prætereuntem hominem interficiat: quæ omnia aliquam facti defenſionem habere poſſint. Verum ſi nulla facti ratio afferri poteſt, niſi animi motus & perturbatio, nec à pœna eximi, niſi peculiari Principis fauore, debet deprecari,& petere,vt ſibi miſereatur, id quod facillime conſequetur, potiſſimum apud Principem, ſi de Repub. benemeritus fuerit: Cicero pro Ligario: Ignoſcite, Iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit: paulo poſt: ego ad parētem loquor, erraui, temerè feci, pęnitet, ad clementiam tuā confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro, hac deprecatione paſſim præcelſæ indolis adoleſcentes, in aliquod lapſi delictum, vtuntur, ad parentum, aut inſtitutorum ſuorum clementiā confugientes. In omni cauſarum genere, hi tres ſtatus, ſiue conſtitutiones ineſſe poſſunt.

De Accuſatore.

Accuſatori in omni coniectura duo ſunt conſideranda, cauſa ſcilicet, & euentus: nam, vt ait Cicero, nemo ſine ſpe, atque emolumento conatur ad maleficium. Cauſa eſt ratio ipſa, qua aliquid efficitur: euentus verò eſt id, quod à cauſa effectum eſt, & quemadmodum in ſuaſione omnia ad vtilitatem, tamquam ad finē referuntur, ita etiam in coniecturali cauſa omnia & ad vtilitatem, & ad facultatem referri poſſunt.

poſſunt. Quare accuſator, reo factum negante, primo debet oſtendere, id ſibi vtile fuiſſe, deinde probare, id ab eo fieri potuiſſe; vtilitas enim & facultas ad patrandum maleficium homines impellunt: altera, vt cauſa efficiens, ſcilicet facultas; altera verò, vt finis, qui animũ mouere ſolet, ſcilicet vtilitas, qua maxima pars hominũ ducitur. & ideo, cum aliquem accuſabit, colligenda ſibi erunt argumenta, quibus quod factũ eſſe dicit, vtile illi fuiſſe, & ab eo effici potuiſſe demonſtret. Cauſa, quę in coniecturis ſpectatur, duplex eſt, nempe impulſio, quæ eſt quidam impetus ab aliqua animi perturbatione proueniens, vt ab amore, iracundia, ægritudine; & ratiocinatio, quæ eſt excogitatio aliquid faciendi, & non faciendi. Perturbationes animi, quę in omni humana actione dominãtur, huc atque illuc animum impellentes, duæ ſunt, ſcilicet, ſpes bonorum, & metus malorum. has perturbationes accuſator amplificabit, cum ab his omnibus vtilitatis coniectura moueatur: nam bona acquirere, & mala deuitare, vtile eſt, vt Cicero pro Milone contra Clodium docet, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe, quas pluribus verbis amplificat, tum metum auget, dum dicit Clodium timuiſſe, ne Cõſule Milone publico iudicio condemnaretur, & prætura priuaretur.

Deinde videbit accuſator, vt facilius confirmetur coniectura, an in reo cædis accuſato præceſſerint, aut ira recens, aut odium vetus,

aut vlciſcendi ſtudium, aut dolor iniuriæ; quoniam ſi inimicitias,vel recentes,vel inueteratas, quæ ſæpe efficiunt, vt homines in eorum quos oderunt necem conſpirent, obijcere poterit, facile compos voti erit: Cicero pro Milone hæc in Clodio fuiſſe oſtendit,inquiens, At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor patriæ, punitor doloris ſui,&c. quid vultis amplius?

Præterea diligenter animaduertet, fuerit ne reus ambitioſus,gloriæ cupidus,aut auarus;hęc enim homines maximè ad inferendas iniurias cogunt, dominandi enim cupiditate,& libidine Cęſarem coniuraſſe ferunt, vt Cicero lib.1. de officijs docet. Maximè autem adducuntur plerique, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, glorięve cupiditatem inciderint, & pro Milone in hoc vehementer occupatur,vt oſtendat à Clodio factas inſidias, quod,Milone interfecto, ſe regnaturũ ſperaret, Debet etiam accuſator videre,an is,quem accuſat, timuerit, ne ſibi à reo aliquod inferretur incommodum,& an rei familiaris inopia laboraret, in ſummasq. eſſet adductus anguſtias. timor enim periculi ad inferendam iniuriam. rei familiaris anguſtia,& ęs alienum, ad turpitudinem impellunt, & propterea Cicero in Catilin. oſtendit eum ęre alieno preſſum, & rei familiaris inopia laborantem in patriam coniuraſſe.

Tum ſi poterit oſtendet,reum eſse audacem,

&

& leuem, & crudelem, & impotentem, hoc eſt, ita effrænatas, & indomitas habuiſſe cupiditates, vt vix à maleficijs ſe continere potuerit. Denique cauſarum euentus diligenter conſiderabit, (neque enim hic loquimur de euentibus neceſſarijs, quorum cognitio ad Philoſophum naturalem ſpectat, ſed de his, qui ab vtilitatis ſpe, & à facultate naſcuntur.) quorum alij ſunt fortuiti, alij vero voluntarij, quos Cicero dicit eſſe conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi veſtigia facti. Dicuntur autem conſequentia, non quia poſt factum ſemper eueniant, ſed quia ſunt facto adiuncta: nam ſolent ipſa euenta maximam ſuſpicionem mouere, quia videntur tacita quædam teſtimonia, vt P. Sylla Catilinæ fuit amicus, cum eo frequenter verſabatur, eo familiariter vtebatur, & ideo tamquam coniurationis conſcius accuſatus eſt. Atq; illud animaduertet in probationibus, ſigna eſſe longe grauiora, quàm cauſas, quoniam cauſæ multis communes eſſe poſſunt, ſigna vero eos ipſos attingunt, qui arguuntur; & grauius aduerſarium vrgent. Nam ſi quis Petrum accuſaret, quod Alexandrum interfecerit, & has cauſas adduceret, quod pauper eſſet, quod auarus, quod interfecti inimiciſſimus, quod ſummã ſuſcipiendi maleficij facultatem habuerit, cum hæc Petro cum multis alijs ſint communia, poterit quidem aliquam efficere ſuſpicionem, ſed non firmiter probare. Verum ſi poſt Alexandri mortem oſtendet Petrum cum hoſtibus Ale-

xandri conueniſſe, illius bona inuaſiſſe, & dilapidaſſe, grauius illum vrgebit, & vbi cauſas & cuēta collegerit, & teſtes, ſi op⁹ erit, fide dignos probatisq. moribus adduxerit, multisq. fuerit argumentis vſus, tunc dicet, non eſſe expectandum, vt reus fateatur, cum argumenta ſint omni luce clariora.

Signa verò hæc erunt, vt ſi telum eius, qui accuſatur, inuētum fuerit in corpore interfecti, aut in loco vbi interfectus fuit, deinde veſtigiū, ſanguis effuſus, veſtes cruore madentes, ſi aliquid ab eo deprehenſum, aut ereptum & ablatum fuerit, quem interfeciſſe dicet: ita Palamedes iniquo iudicio condemnatus fuit, quod in eius tabernaculo repertæ fuerint pecuniæ, quas dicebat Vlyſſes eum à Priamo accepiſſe, vt Græcos proderet. ita prædones, & fures ſæpe ſolent argui, cum apud eos res furto ſublatæ inueniuntur. Tum ſi non conſtiterit in vna ſententia, ſed inconſtanter loquutus fuerit, aut hæſitauerit, aut titubauerit, aut cum aliquo ſiccario, ſeu latrone viſus fuerit, vnde facti ſuſpicio exoriatur. Multum etiam circūſtantiæ coniecturam adiuuant; vt, an eiuſmodi perſona ſit, quæ tale facinus aggrediatur, an rem perficere ſperauerit, qua cauſa motus id fecerit, quo auxilio, & quomodo feciſſe dicatur, quo tempore, quo loco; plurimi enim intereſt, ſi, qui arguitur, paulo ante viſus in eo loco fuerit, vbi facinus commiſſum eſt.

Signa etiam conſcientiæ ſunt, pallor, & tremor

mor in eo, qui arguitur. Sed longe omnium firmiſſimum ſignum, ſi ſcripta fuerint inuenta, vel obſignationes ſigillorum, vel depoſita; hæc enim ſunt huiuſmodi, quæ ferè negari non poſſunt. hac ratione condemnati fuere Vitellij, & Bruti filij, quod eorum litteræ ad Tarquinium Superbum in legatorum manibus deprehenſæ ſunt; ita Lentulus coniurationis particeps probatus eſt, quod eius ſigillo obſignatæ litteræ, fuerint in Senatu prolatæ.

Signa, aut ſunt in ipſa re, vel ante factum, vel poſt factum. In ipſa re notabuntur ſigna: vt, ſi quis, hoſtis alicuius interficiendi gratia, cum ſeleſtis hominibus, eum itineri ſe commiſsurũ inuadat. Ante factum, vt ſi dicat alicui, hoſtem breui periturum, vt de Milone dixerat Clodius: poſt factum, ſi interfector ſecurus ad vrbẽ redeat, inſidias ſtructas ſimulandi gratia. quod ſi nulla in reo facti veſtigia reperiet, cauſas, & facultates amplificabit, de quibus ſupra dictum eſt.

De Collocatione Accuſatoris.

Accuſator non aliter atque miles ſtrenuus hoſtem inuadens, primo, quod prius à reo commiſsum eſt, explicabit, deinde omnia, quæ ſunt eiuſdem generis crimina, in vnum locum conijciet, teſtimonijs corroborabit, vnũquodq; amplificabit, & in ſingulis criminibus augendis, vt maiora videantur, vehementer occupa-

bitur; tum iudicum animos in reum incitabit; partim in media oratione per digreſſionem; partim in extrema parte, cum perorationem adhibebit; hunc enim ordinem Cicero Oratorum Princeps in accuſatione Verris ſequutus eſt; primo enim explicauit, quid in quæſtura turpiter geſserit, deinde quid in legatione, tum quid in prætura Vrbana. Denique quid in prætura Sicilienſi; atque hoc ordine, quæ prius à Verre nefarie geſta fuerunt, expoſuit, & poſtremo loco grauiſſima atque atrociſſima crimina, vt acrius Iudices in Verrem inflammarentur, expoſuit: quod etiam fieri ſolet peccatorum exaggeratione; vt Cicero contra Verrem in peroratione præſtitit: Si eius omnia ſunt inaudita, & ſingularia facinora, ſceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, auaritiæ, crudelitatis, dignos exitus eiuſmodi vita, atque factis, veſtro iudicio conſequatur.

De Defenſore.

DEfenſoris partes erunt, accuſatoris locos infirmare, ac primò, oſtendere, nullas fuiſſe cauſas maleficij ſuſcipiendi: quod ſi aliquæ cauſæ fuerint, oſtendet defenſor, non tantas fuiſſe, quantas ait accuſator. Præterea dicet, reum non ijs eſse moribus, vt tale flagitium committat, id quod Cicero in ijs, quos ſibi defendendos ſuſceperat, copioſè proſequutus eſt: nam pro Roſcio non ſolum cauſam ab Erucio adductam,

tan-

tanquã non idoneam, quę Roſcium ad parricidiũ impellere potuiſset indicauit, & quod Patri Roſciüs non placeret, quoniam, cum in prædia ruſtica relegarat, irridet: ſed eum, vitam ab omni cupiditate diſiunctam, & cum officio cõiunctam egiſse, oſtendit. Denique dicet, nullos animi motus in reo fuiſse, aut ſi qui fuerunt, nõ tam fuiſse impotentes, & effrænatos, vt eum ad ſcelus impellerent. Hoc pro Milone Cicero diligenter facit, cum ait, nullum odium, nullam iram, nullam vlciſcendi fuiſse in Milone libidinem, quæ omnia docet in Clodio fuiſse. Et quoniam efficiendi facultas potiſſimum in viribus, animo, copijs, opibus, circumſtantijs ſpectatur, ſi hæc abſuiſse, aut non opportuna fuiſse demonſtrare poterit, omnia coniecturæ argumenta facile ſubuertet. Vnde Cicero pro Roſcio multis rationibus probat, illi neque animum, neque facultatem patris occidẽdi fuiſse: & pro M. Cęlio, accuſatoris argumenta hoc modo ſubuertit: Poſsum etiam illa, & cęterorũ patronorum, & mea conſuetudine ab accuſatore perquirere, vbi ſit congreſsus cum ſeruis L. Lucij Cęlius, qui eius fuerit aditus: ſi per ſe, qua temeritate; ſi per alium, per quem? poſsum omnes latebras ſuſpicionum peragrare dicẽdo, non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, nõ ratio vlla, non veſtigium maximi facinoris reperietur. Adiunget etiam communem illam defenſionem, neminem ſcilicet eſse ita mentis

impotem, vt alieno tempore, non idoneo loco, multis conſcijs, quorum fidem ſuſpectã habeat, aliquod maleficium ſuſcipiat. Signa, cum non ſemper neceſsario conſequantur, facile repellere poterit, vt Cicero pro Celio docet, familiaritatem, quam habuit M. Celius cum Catilina, non habere crimen coniurationis; quoniam etiam alij multi boni viri, Catilinę familiares fuerunt, neque tamen cum eo coniurarunt. Oſtẽdet quoque fieri poſse, vt reus expalluerit, aut in dicendo titubauerit; quandoquidẽ poteſt quis, etiam innocens, in conſpectu Iudicis expalleſcere, & inconſtanter loqui, non propter malam conſcientiam, ſed propter inconſtãtiam iudiciorum.

De Collocatione Defenſoris.

DEfenſor totum exordium in eo conſumet, vt Iudicem ab accuſatore criminibus exaſperatum mitiget, & eius beneuolentiam ſibi conciliet, deinde crimina, vel falſa eſse oſtẽdet, vel prorſus diluet, vel imminuet, & defendendo obſcurabit, & ſi neutrum fieri poteſt, digreſſionibus vtetur, quibus ad alias res animi iudicũ abſtrahantur. In perorationibus miſericordiam mouebit, vt reo facilius commoti Iudices indulgeant. Beneuolentiam conciliabit, primo commemorandis rei virtutibus, vt ſi vir fortis eſse dicatur, ſi amans patrię, vt Cicero pro Milone: Etſi vereor Iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere, &c. Idem facit pro Flacco, & Seſtio. Tum à perſona ſua,

vt

vt pro Archia Poeta: Si quid eſt in me ingenij, Iudices, quod ſentio quam ſit exiguum, &c. Tandem ab ipſis aduerſarijs, vt pro A. Cęcina ſtatim aduerſarium criminari incipit. Si narrationes proderunt, illis vti poterit; ſin offendent, prętermittere.

DE OFFICIO, ET MATERIA FACVLTATIS ORATORIAE.

OFficiũ, vt tacitus multiplices nominis vſus, variasq. acceptiones prętereã, eſt id, ꝙ quiſque pro ſuſcepti muneris ratione efficere debet, vt medici officiũ eſt appoſitè curare ad ſanandum, nihilvè eorũ prętermittere, quę morbum depellere poſſunt. Officium Oratoris eſt, non perſuadere dictione, vt aliqui inter officium, & finem non omnino diſtinguẽtes perperam exiſtimarunt, ſed ea diligenter excogitare, & in medium afferre, quę ſint ad perſuadendum accommodata, vel, vt Cicero 1. de inuentione ait, dicere appoſite ad perſuaſionem. Nam ſępiſſimè vſu euenit, vt artifex munere ſuo perfungatur, pręſcriptumq. finem non aſſequatur, vt medicus, cuius opera in ſanitatem eſt intenta, ex arte curat, verum cum interdum eum ſuſcipiat ſanandum infirmum, cuius difficillimum, & grauiſſimum morbum nulla poteſt medicina depellere, propoſitum ſibi finem non aſſequitur, nec ipſa natura, qua nihil

nihil certius ad præſcriptum ſibi finẽ peruenit. Ita Orator, licet ijs diligenter conſideratis, quæ ad dicendum maximam vim afferunt, appoſitè dicat ad perſuadendum, non tamen ſemper perſuadet, cum interdum apud eos verba faciat, quibus nihil poteſt perſuaderi. Quare eius officium erit, dicere appoſitè ad perſuadendum, finis verò perſuadere dictione, ideſt Oratione.

Quid interſit inter officium, & finem.

OFficium & finis in hoc differunt, quod in officio, quid fieri debeat, conſideratur: in fine verò, quid officio conueniat. vel officium id eſt, quod quiſque debet facere; finis verò, cuius gratia illud fit, tanquam terminus, & inſtitutum rei faciendæ. vt Oratoris officium eſt dicere appoſitè, vel diligenter excogitare, & in medium afferre ea, quæ ſint ad perſuadendũ accommodata: perſuadere verò, in cuius gratiam res excogitantur, & dicuntur, erit finis, terminus, & inſtitutum Oratoris. Dicitur autem officium ab efficiendo, quod ſit illud, quod quemque pro conditione ſuæ perſonæ facere deceat.

De Materia.

MAteria multiplex eſt. Quædam eſt materia alterationis, ex qua aliquid fit, non tamen in ſua ſubſtantia permanenti, vt cibus

eſt ſanguinis materia, & elementa miſti, quod ſui corruptione componunt; quædam eſt materia compoſitionis,vt lapides, ligna, & id genus alia, materia domus. Quædam eſt materia inhæſionis, vt ſubſtantia, cui omnia inſunt accidentia. Quædam eſt materia mutationis ſubſtantialis, quæ ſub diuerſis formis, modo ſub vna, modo ſub altera forma ſubſtantiali inuenitur, & de his non eſt ſermo. Quædam eſt materia artis, quæ alio nomine ſubiectum dicitur, in qua artifex ſciens & ſpeculator verſantur,vt ſi ædificatoris materiam domum dicamus, Aſtronomi cęlum, quoniam in ijs ædificator, & Aſtronomi verſantur: & de hac eſt ſermo, dicimusq. omnes ſcientias, & artes, pręter Oratoriam,& Dialecticam,ſubiectam aliquam materiam, circa quam pręcipuè verſentur, habere. Nam Grammatica ſermonem, ſiue orationem congruam habet; Logica Sylogiſmum, vel enę rationis,Philoſophia naturalis,corpus naturale, vel ens mobile;Medicina corpus ſanabile; Metaphiſica ens inquantum ens; ſacra tandem Theologia Deum ſub ratione deitatis:Oratoria autem facultas nullum habet determinatum genus, aut certam materiam, in qua verſetur, cum de omnibus rebus communiter & probabiliter in vtramque partem diſputet. Res igitur omnes veriſimiles & probabiles, quæ ab hominum opinione dependent, & in diſputationem cadere poſſunt, ſunt Rhetoricæ ſubiecta materia. Oratoris verò, ſi Hermogeni, credimus

quæ-

quæſtiones ciuiles, quod in his Orator maximè verſetur, vel quæſtio ſimpliciter, vt Cicero, Plato, & Ariſtoteles cenſuerunt. Ex quo planum eſt, in hoc facultatem Oratoriam ab alijs artibus, & facultatibus differre, quod reliquæ propriam ac certam materiam, quam tractant, & in qua verſantur, & extra quam omninò numquam egrediuntur, habent; hæc autem de omnibus tractat, nullamq. habet definitam regionem, cuius terminis ſepta teneatur: & ideo non immerito eam artem communem Ariſtoteles appellauit, cum de rebus communibus & incertis, quæ audientium animos probabilitatē tantum percutiunt, & contrarijs argumentis facillimè euelli poſſunt, tractet.

De Quæſtione.

QVæſtio eſt dubitabilis propoſitio; & id, circa quod totius cauſæ cardo vertitur; controuerſiamq. gignit. Quęſtionū autem duo ſunt genera, alterum infinitum, quod Græci Theſin, Cicero in topicis propoſitum, in partitionibus conſultationem, Priſcianus poſitionem dixit, vt quando generatim de aliqua re quærimus, nulla perſonarum, temporum, ſiue locorū habita ratione, vt ſit, ne bellum gerendum, colenda amicitia, expetenda eloquentia: alterum finitum, quod Hypotheſin Græci, Cicero in partitionibus controuerſiam, in Topicis cauſam appellat, & id eſt, de quo aliquid quæritur, ſed

certarum perſonarũm, locorum, temporum, actionum habita ratione, vt, ſit ne Sereniſſimo Sabaudiæ Duci aduerſus hæreticos, Turcas, & alios religionis Chriſtianæ teterrimos hoſtes bellum ſuſcipiendum, an Manfredo Auguſto ſit naturali, ac morali Philoſophiæ ſtudendum; an tempore belli, Cæſari vxorẽ ducerẽ liceat. Thæſis præterea à Rodulpho Agricola lib. 2. cap. 8. quæſtio prædicatiua; hypoteſis verò conditionalis appellatur. Hoc exercitationis genus ad augendam eloquentiam non mediocrem vtilitatem affert, & ideo in dicendis, & conficiendis thæſibus plurimum laboris pueri, ad magnum opus declamationum perducẽdi debent inſumere.

Quæſtionum præterea aliæ ciuiles, quæ ad ea tantum ſpectant, quæ in ciuitate vſurpantur, vt ſit ne conſtruendum palatium, reficienda templa, inſtaurandæ domus, quæ ædificiorum ruinis ciuitatem deformarunt: aliæ contemplatiuæ, quæ ſola animi ratione explicantur, vt fuerit ne mundus creatus in tempore, vel ab æterno, ſit ne cœlum empyreum, &c.

Quæſtio finita, ſiue hypotheſis ad infinitam interdum reuocatur, vt Cicero, Archiæ Poetæ doctrinam ſummis extollens laudibus, copioſiſſime præſtitit, dum de humanioribus litteris, & poeticæ facultatis pręſtantia elegantiſſimę diſputauit. Reuocatio autem fit hoc modo: Sit hæc quæſtio finita: An Alexãdro ſit ſtudendum Rhetoricæ, huius finitæ quæſtionis pars infinita

hæc erit, an ſit ſtudendum Rhetoricæ, exornet hanc partem Orator, oſtendatq. rationibus, & argumentis ſtudendum eſſe Rhetoricæ, reuocabit ad infinitam, finitam quæſtionem.

Qualis, & quid ſit Orator.

CVm Oratoris finem eſſe, perſuadere oratione, & fidem facere, dictum ſit, multoq. facilius & celerius ijs, qui in morum integritate, ac vitę probitate ſuum ſtudiũ poſuerũt, Oratori totis viribus contendendũ erit, vt credatur rectam viuendi rationem exerceat, moribusq. ſit quam honeſtiſſimis, & integerrimis, quo facilius propoſitum ſibi perſuadendi finem conſequatur: nam cum oratio non ſolum auditorē, ad quē habetur, & rem ipſam, de qua habetur, reſpiciat, ſed etiam, & multo magis ipſum Oratorem, à quo habetur, & in eo mores & vita conſiderentur, niſi probatis ſit moribus, haud poterit perſuadere, cum vix ijs, qui aliquo ſe adſtrinxerunt ſcelere, fides habeatur, niſi eo vtantur orationis genere, quo viri boni exiſtimentur; tunc enim ijs creditur, non tanquam malis, ſed tanquam ijs, qui boni Oratoris ſpeciem induerunt.

Præterea, qui perfecti Oratoris nomine florere voluerit, illarum ſaltem ſcientiarum cognitione, quas ingenuas, vel liberales communiter appellamus, & præſertim in hiſtorijs, quæ non modo maximam ad perſuadendum vim habeat

habent, ſed etiam auditorum animos ſumma detinent delectatione, præſtare, & excellere debebit, vt facilius de vnaquaque re propoſita dicere valeat.

Oratoris partes quinque ſunt, inuenire quid dicat, deinde inuenta diſponere, deinde verbis ornare, poſt memoriæ committere, tandem pronunciare.

Inuentio eſt eorum excogitatio quæ dicenda ſunt, & quæ cauſam probabilem reddant.

Diſpoſitio eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio. Eloquutio eſt idoneorum verborū & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria eſt firma orationis pceptio. Pronuntiatio eſt rerum & verborum, corporis, & vocis cum venuſtate moderatio. Sciendum eſt, Ariſtotelis tempore nondum actionis & pronunciationis præcepta tradita fuiſſe, ſed tantū inuentionis, eloquutionis, & diſpoſitionis: verū quoniam non ſatis eſſe videbatur, inuenire, eloqui, & diſponere, niſi etiam quod inuentum & diſpoſitum eſt, pronunciaretur, maximaq. in pronuntiando vis exiſteret, cum eam corporis eloquentiam Cicero vocauerit, pronunciationē additam fuiſſe, quod maximam in dicendo vim habeat. Cn. enim Lentulum non aliam ob cauſam in prꝑſtantiſſimorum Oratorum numerum relatum, proditum eſt, niſi propter egregiam actionem. Apud Romanos Hortenſius, & C. Gracchus proximam à Cicerone dicendi facultatem aſſequuti exiſtimati ſunt, propter actio-

nis

nis dignitatem; Gracchus enim in deflēda fratris nece totius populi lacrymas concitaſſe dictus eſt. Conſiſtit autem actio potiſſimum in voce, ad ſingulos animi motus concitandos; videndumq. eſt quando magna voce vti oporteat, quando parua, & quando mediocri; nam iracundia vocem acutam crebrò incitatam, & crebro incidentem deſiderat. miſeratio vocem flexibilem, plenam, interruptam, flebilem. metus, demiſſam, hæſitantem, & abiectam vocem poſtulat. voluptas lenem, teneram, hilaratam ac remiſſam; moleſtia, genus quoddā vocis graue, & ſono obductum.

De partibus orationis in ordine ad diſpoſitionem.

ORationis partes quatuor ſunt, quarū duæ, propoſitio ſcilicet, & probatio, ſunt neceſſariȩ ad faciendā fidem; duȩ verò, ſcilicet exordium, & peroratio, ad mouendos animos adhibentur, nam qui aliqua de re verba facturus eſt, primum omnium proœmio, quod eſt orationis principium, quando opus eſt, vtitur, vt auditorum ſibi beneuolentiam conciliet, deinde rem ipſam proponit, & eam rationibus, & argumētis confirmat, tandem concludit, & per ſumma capita repetit, quȩ in tota oratione probata ſunt. Sub propoſitione continetur narratio, cum non poſſit Orator proponere, niſi proponendo rem ipſam narret; ſub probatione verò confirmatio, & refutatio, quia, dum probat, confir-

mat, & confirmando aduerſariorum repellit argumenta.

Quid ſit vnaquæque harum partium.

PRoœmium ſiue exordium dupliciter poteſt conſiderari, vel per ſe, vel per comparationem ad auditorem. Procœmium per ſe conſideratum nihil aliud eſt, quam propoſitio quędam earum rerum, quæ tractandæ ſuſcipiuntur quo procœmij genere, Cicero, Ariſtoteles, & multi Poetarum vtuntur, à rebus enim ipſis orationis principium ſumunt, Virgilius enim Poetarum facile princeps, quatuor carminibus Georgicorum materiam complexus eſt. Per comparationē ad auditorem conſideratur procœmium, cum efficere ſtudemus, vt amice, attentè, & intelligenter nos audiant, quod tunc conſequimur, cum rei, de qua verba facturi ſumus, vtilitatem proponimus, & ſic definitur: Exordium eſt, oratio auditoris animum idonee comparans ad reliquam dictionem. Differunt autē proęmium, prologus, & proluſio, licet ad eumdem finem attineant, ſcilicet vt audientium fauorem promereantur, quoniam proęmium dicitur eſſe ſolutæ orationis principium. Prologus poematis initium, proluſio verò præparatio quædam auditorum ad cantiones audiendas.

De præcipuo munere exordij.

MAximè neceſſarium ac proximum proœmij munus illud eſt, docilem efficere auditorem, quod tunc maximè conſequimur, cum ſtatim orationis initio, qui ſit finis inſtitutæ orationis, quibus de rebus agatur, quem ordinem in dicendo ſequi velimus, breuiter explicatur; verum ſi id, de quo ſumus dicturi, apertum atque manifeſtum erit, & oratio breuis, nihil opus erit vti proœmio tanquam non neceſſario. Cæteræ autem proœmiorum ſpecies quibus paſſim Oratores vtuntur, ſunt veluti remedia quædam communia, quibus iudicum animos, ſi forte fuerint offenſi, nobis conciliamus, vt cauſæ faueant. Huiuſmodi proœmia omnia ducuntur, vel ab Oratore ipſo, vel ab auditore, vel à cauſa, vel ab aduerſario. Patronus ſiuè defenſor, cuius intereſt aduerſarij crimina diluere orationis ſtatim initio, eũ, cuius patro cinium ſuſcepit virum probum eſſe oſtendet, & dicetq. ſe ita probitatis honeſtiſſimæq. vitæ amatorem eſſe, vt vix adduci poſſit, vt ſceleſtiſſimos homines tueatur. Cicero enim Milonem defenſurus fortiſſimum virum ſtatim appellat, & bonum, & de Republica benemeritũ. Lucium Flaccum vehementer in exordio commendat, quod maiorum ſuorum virtutem adæquauit. Aduerſarius, & accuſator eadem eſt præſtiturus, ſed commodius in ipſa peroratio-

ne, in qua multis criminibus congeſtis debet Iudices in reum inflammare, docereq. illum eſſe improbum, quod diligentiſſimè proſequutus eſt Cicero vltima actione in Verrem, in qua breuiter eius omnia flagitia, & ſcelera repetit.

Ab auditoris perſona ducuntur exordia, quãdo nobis eum conciliamus, & attentum reddimus. Quatuor ſunt præcipuè quæ auditores attentos reddunt, res magnæ, res propriæ, res admirabiles, res denique iucundę: & obſeruandum eſt, non eſſe proprium ſolius exordij captare attentionem, ſed omnium partium commune, fortaſſeq. magis neceſſarium in alijs partibus quam in exordio: nam orationis principio auditores ſua ſpontè ſunt attenti, neque artificio egent, vt excitentur; idcirco non ſolum captãda eſt attentio in exordio, ſed etiam in alijs partibus, quando res poſtulat. Cicero enim in medijs orationibus Iudices ad attentè audiendum excitauit.

Qualia debent eſſe exordia.

EXordia debent eſſe ſententijs inſtructa, & cauſarum maximè propria. In demonſtratiuo genere poterit Orator orationis principiũ pro arbitrio vnde voluerit ſumere, licet exordium nullam habeat cum ea re, quæ laudatur & vituperatur, ſimilitudinem aut cognationem: verum illud videndum eſt, vt paulatim ad cauſam veniatur, & extrema exordij pars, laudã-

tionis initio copuletur. Nam in genere demõſtratiuo, vt Ariſtoteles docet, exordia ſolent eſſe maximè libera. Huius generis exordia ſunt illa Salluſtij in couiuratione Catilinæ, & Iſocrat. in encomio Helenæ, quæ nihil penitus commune habent cum oratione demõſtratiua: nam Iſocrates Helenam laudaturus, orationis initio contra Sophiſtas copioſè diſputat, quid illis cum Helena commune. Et quamuis demonſtratiui generis exordia ſint libera, tamen ab Ariſtotele tria duntur præcepta, vnde facilè duci poſſunt: Tria autem in vniuerſum ſunt, à laude, aut vituperatione, vel à conſilio, vel à perſona. A laude, vel vituperatione ducitur exordium, cum eos laudamus, aut vituperamus qui aliquid boni, vel mali inſtituerunt, vt ſi eos ſummis extollamus laudibus, qui virtute præditis aliquem honoris, ac dignitatis gradum conſtituerunt: & è contra ſi eos vituperemus qui Bacchanalia inſtituerunt, quod nobis quãplurima incommoda pariant. A conſilio ducuntur exordia, quando prudentiſſimum aliquẽ & fortiſſimum virum, oratione nobis commendandum ſuſcepimus, ita inchoamus. Quoniam æquiſſimum eſt, auditores præſtantiſſimi, vt ijs, qui fortitudinis & prudentiæ laudæ excellunt, ſummum honoris genus tribuatur, idcirco non eſt cur miremini, ſi hodierna die Ioannem Baptiſtam Goſſum Lanceanum, cuius ſingularem in rebus agendis prudentiam, & iuſtitiam non ſatis homines admirari poſſunt, oratione cele-

brandum

brandum ſuſcepi. Ab auditoris perſona ſumitur exordium, quando auditorum animos nobis conciliantes, & ad audiendum præparantes, de re incredibili, vel ardua, vel peruulgata, nos verba facturos eſſe pollicemur.

De procemijs generis iudicialis, & deliberatiui.

DEliberatiuum genus procemium non deſiderat, cũ natura ſua deliberationes exordijs non indigeant, quandoquidem deliberaturi, eorũ quę in deliberationẽ veniunt, non debẽt eſſe inſcij, & ſi qua adhibentur, quàm breuiſſima eſſe debent, & hanc tantum ob cauſam, vt vel Oratorem ad amicè & intelligenter audiẽdum diſponamus, vel ad repudiandam aduerſariorum ſententiam, vel ad rei de qua agitur magnitudinem augendam, vel imminuendam. In iudiciali genere, vt Cicero 2. de Oratore expreſsè docuit, ex ipſis cauſarum viſceribus ſumenda ſunt, vt Iudices, & auditores, qua de re ſit futurum iudicium intelligant, dandaq. eſt opera, vt Iudex concilietur, ſi eum laudabimus, laudemq. eius cum vtilitate coniunctam iri dixerimus, quod ſi res, de qua eſt futurum iudicium, fuerit breuis, poterit exordium commodè prætermitti, & ab ipſa re ſtatim orationis principium ſumi.

De narratione in genere demonſtratiuo.

NArratio eſt rerum geſtarum, ac perinde vt geſtarum explicatio, & quædam quaſi ſedes ac fundamentum fidei conſtituendę. Triplex eſt autem narratio, poetica, hiſtorica, & ciuilis. Poetica fictam continet orationē; hiſtorica veterū rerum geſta narrat; ciuilis ea eſt, qua Oratores in controuerſijs vtuntur. In narratione multa ſunt conſideranda, perſona faciens, res geſta, tempus circa quod, locus in quo, modus quo pacto, & cauſa propter quam.

Oratio debet tribus exornari virtutibus, claritate, breuitate, probabilitate, & lectorū verborum proprietate. Clara ſiue aperta & lucida erit oratio, ſi verbis proprijs, & non ab vſu remotis fuerit expoſita; ſi rebus, perſonis, temporibus, locis, & cauſis erit diſtincta; tandem ſi ordo in rebus exponendis ſeruabitur, & quod primum geſtum erit, primo exponatur loco, & in poſtremum non traijciatur.

Breuis erit oratio, ſi rebus omnibus ſuperuacaneis, & inutilibus reſectis, res ipſa exponetur, cum ſermonis dignitate, & lepore.

Probabilis erit, ſi nihil, quod nobis ipſis aduerſum videatur, dixerimus: tandem proprietatem verborum electorum habebit, ſi nihil ambigue, nihil contortè, nihil noue dicamus, ſed ijs vtamur verbis, quæ in optimorum auctorum conſuetudine poſita ſunt.

In

In demonſtratiuo genere res ipſa eſt exponenda, vt geſta eſt, & narratio perpetua eſſe non ſolet,ſed in plures partes diſtinguitur,quoniam, vbi res ipſas expoſuimus, neceſſe eſt, vt eaſdem amplificemus, & ideo tota exornandi ratio, vt Cicero in partitionibus dixit, narratione, & amplificatione conſumitur. Conficitur autem genus hoc dictionis,narrandis exponendisq. factis, ſine vllis argumentationibus. Quoniam nonnulli fuerunt,qui orationis breuitatem commendarunt, quod ſi orationis breuitas in hoc conſiſtit,vt non minus dicatur quã oporteat, non ſunt improbandi. Cæterum, ſi exiſtimant orationem ita breuem eſſe debere, vt re ipſa exigente non poſſit eſſe mediocris & longa, planè irridendi ſunt;quoniam oratio poteſt eſſe breuis, mediocris, & longa, provt res ipſa poſtulat. In demonſtratiua oratione hoc maximè obſeruandum eſt, vt confirmatio, & amplificatio narrationem ipſam ſequãtur,quoniam narratio, in qua confirmatio, & amplificatio interponuntur, ſolet eſſe magnifica, ſublimis, & maieſtate plena. Deinde obſeruandum eſt,vt qui celebrem aliquem principem,aut heroem laudaturus eſt, ea tantum in memoriam reducat,eloquentiæq. viribus extollat, quæ ab eo geſta ſunt,ijſque abſtineat,quę omnibus ſunt apertiſſima.

In narratione ea dicenda ſunt,quæ & narrantis probitatem, & aduerſariorum improbitatẽ oſtendant, & interdum ea ponenda, quæ ipſis

Iudicibus ſint iucunda, plurimumq. prodeſt, eorum, quos defendimus, vitæ probitatem, & aduerſariorum ſcelera effingere.

In deliberatiuo genere narratione non eſt opus, cum deliberatio de futuris ſit, narratio verò de præteritis: verum ſi in deliberatione fortaſſe aliqua præteritorum narratio eſset adhibenda, eo tantum conſilio adhibebitur, vt melius conſultari poſſit de futuris, ſi præterita in memoriam reducentur.

De Probatione ſiue Confirmatione.

Confirmatio, quæ vniuerſam perſuadendi rationem, & vincendi ſpem continet, pars eſt orationis Rhetoricæ argumenta continens, quibus cauſæ noſtræ fidem quærimus: hæc multa ſortitur nomina, dicitur enim interdum probatio, interdum aſtructio, interdum demonſtratio, & ſtructura appellatur. Confirmatio autem fit, ſi diligenter ea demonſtrentur, & concludantur, de quibus eſt cõtrouerſia, & quæ cum aduerſarijs nullo modo conueniunt: ſunt autem quatuor præcipue quæſtiones, de quibus eſt controuerſia, & de quibus in iudicio contẽditur, quas alij ſtatus appellant, quare cum Orator argumenta confirmare haud commodè poſſit, niſi cognitis huiuſmodi quęſtionibus ſiue ſtatibus, de illis non erit moleſtum aliqua dicere.

Status eſt ſumma cauſæ conſtitutio, ad quam

totius orationis argumenta referuntur, hoc eſt id, quod naſcitur ex cõflictione petitionis actoris, & defenſionis rei; vt exempli gratia, Antonius Petro mortem eſt minatus, hæc ſit intentio actoris, ſiue accuſatoris; depulſio verò defenſoris ſit, hæc non minatus eſt, ex hac conflictione oritur conſtitutio ſiue ſtatus, videlicet, minatus ne fuerit mortem Antonius Petro: dicitur autem ſtatus, quod in eo tota cauſa conſiſtat. Et quoniam in omni diſceptatione quęritur, an ſit, quid ſit, vel quale ſit, idcirco tres inde oriuntur ſtatuum differentiæ, videlicet coniecturalis, legitima, & finitionis. Coniecturalis ſtatus eſt ille, in quó quæritur, an res ſit nec ne, facta ſit an non, vt, ſit ne Antonius minatus mortem Petro nec ne: dicitur autem coniecturalis, quoniam coniecturis probãdum eſt id, quod negatur, aut refellendum quod aſſeritur, & hic ſtatus eſt Oratoris proprius, qui de facto inquirere debet; cęteri autẽ ſtatus non omnino Oratoris proprij eſſe videntur, cuius munus tantum eſt inquirere, an res ſit facta nec ne: nam vbi rem eſſe factam probauit, nihil eſt opus vt Iudicem docere conetur, eam eſſe iuſtam, aut iniuſtam, magnã, aut paruam, quoniam hæc Iudicis interſunt, qui hęc vel à legibus doceri, aut per ſeipſum intelligere debet. Vt Ariſtoteles cenſuit, debet Orator in iudicijs in id quamdiligentiſſimè incumbere, vt oſtendat rem eſſe factam, aut non factam, quod etiam in cæteris quæſtionibus obſeruandum eſt, vt ſcilicet ea diligentiſſimè probentur,

quæ

quæ veniũt in controuerſiam. Status legitimus eſt ille, in quo factum admittimus, ſed inquiritur, an iuſtè, & honeſtè factum ſit nec ne, vt exẽpli gratia, accuſatur Petrus, quod fratri mortẽ intulerit, admittitur factum; cæterum Petrus in eo vehementer occupatur, vt oſtendat ſe rectè, & iuſtè feciſſe. Huius autem ſtatus duæ ſunt partes, quarum altera abſoluta, altera aſſumptiua nominatur. Abſoluta ea eſt, cum factum rectè factum eſſe dicimus, nihil foris aſſumendo, vt inſtitutor pueros verberibus afficit, ij iniuriarum cum inſtitutore agunt, inſtitutor nihil aliud defendit, niſi licere pueros à præceptore verberari. Aſſumptiua eſt, cum ad probandum factum aliquid foris neceſſario aſſumitur, vt Octauius qui mortem Petro intulit, neceſſario damnabitur, niſi foris aſſumat Petrum ſibi inſidias ſtruxiſſe. Status nominis ſiue finitionis eſt, cum, quid ſit aliquid, inueſtigamus, vt fuerit ne Iulius Cæſar Rex, an Tyrannus, an Dictator. & omnes hi ſtatus in quouis cauſarum genere reperiuntur. In demonſtratiuo genere debet Orator in eo plurimum occupari, vt oſtendat facta, & honeſta, & vtilia fuiſſe, quod in cæteris eſt ſeruandum.

Ex ſcripti etiam interpretatione ſolent quæſtiones exiſtere: nam aut defenditur id, quod aduerſarius velit ſcriptum non dicere, ſed aliud quod fieri ſolet; quando ſcriptum in plures ſenſus poteſt deduci, aut propter diſcrepantiam ſcripti, & voluntatis, aut propter contrariam

ſcripturam, aut propter ratiocinationem. Ex ambiguitate ſcripti exiſtit quæſtio hoc modo; vt, quidam teſtamento iuſſit, poni ſtatuam auream haſtam tenentem: quæritur, an ſtatua haſtam tenens, aurea eſſe debeat, an haſta aurea in alterius ſtatuą materiæ. Ex diſcrepantia ſcripti & voluntatis exiſtit quæſtio hoc modo; lex eſt, quicumque nocte cum ferro inceſſerit, capiatur, & captiuus ducatur, quidam ruſticus à ſatellitibus cum vomere deprehenditur, hic captiuatur, ille autem voluntatē ſcriptoris allegat. Ex contrarijs ſcripturis exiſtit quæſtio, quando vna lex aliquid iubet; altera verò idem prohibet. Ex ratiocinatione exiſtit quęſtio, quādo, vbi propria lex non eſt, quæritur an ſimili vtendum.

Peroratio, ſiue concluſio, vel Epilogus eſt extrema pars orationis, in qua Orator ſolet ea repetere, quæ in oratione dicta ſunt; verum ſi ea parua fuerint, atque ita, vt memoria facilè comprehendi poſſint, non opus erit vt repetantur.

De quadruplici Reip. ſtatu.

Reipub. genera quatuor efficit Ariſtoteles Rhetoricorum 1. cap. 29. tex. 335. ſcilicet, Democratiam, Oligarchiam, Ariſtocratiam, & Monarchiam.

Democratia eſt Reip. ſtatus, in quo, non vni tantum, aut optimatibus, aut potentioribus, ſed

omnibus, nulla nobilitatis, aut ignobilitatis, diuitiarum, aut pauperiei habita ratione, imperandi facultas contingit, quandoquidem populi intereſt, Magiſtratus, aut per ſortes, aut per ſuffragia eligere, vt, Romanorum tēpore, Conſules, Prætores, Aediles ſuffragijs, Quæſtores verò ſorte eligebantur.

Oligarchia eſt Reip. ſtatus, in quo potentiores tantum imperant: legibus namq. cautum erat, vt ne quis cæteris præeſset, niſi cui ingentes, & immanes ſuppeterent diuitiæ, idcirco Magiſtratus ex cenſu creabantur. hac Lacedæmonij poſt Lycurgum vſi ſunt.

Ariſtocratia eſt, Reip. ſtatus, in quo probatis tantum viris, qui Ciuitatis ſuæ perceperunt diſciplinam, eaq. diligentiſſimè cuſtodiunt, imperandi poteſtas decernitur: Qua hoc temporis decurſu Veneti vtuntur, qui eos tantummodo imperare volunt, qui ſeſe in recta viuendi ratione exerceant, & vitæ integritate cæteris præſtent.

Monarchia vero eſt Reip. ſtatus, in quo vnus tantum omnium eſt dominus, vt nomen ipſum per ſe declarat. Monarchia Romani ab initio vſi ſunt; deinde, Regibus exactis à Bruto, Ariſtocratia vti cęperunt. Plebe vero inſoleſcente, ſubſequuta eſt Democratia; Populo deinde latè longèq. regnante, ad Oligarchiam delapſa eſt. Tandem ad Monarchiam à Cæſare reducta eſt.

Monarchia duplex eſt, aut legitima, & ordine inſtituta, aut illegitima, & contra ordinem &

leges

leges. Prior Regnum vocatur, poſterior verò Tyrannis, quando Princeps ex libidine dominatur.

Regnum & Tyrannis in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. in eo conueniunt, quòd in vtroque vnus tantum eſt qui imperat & gubernat; differunt autem, quod Princeps, ſiue Rex ſubditorum vtilitatem, & commodum ſpectat; Tyrannus verò, nulla vtilitatis eorũ, quibus ex libidine dominatur, habita ratione, proprijs commodis conſulit, & inſeruit. Prætereа Rex, & Princeps legitimè imperant, & æquabiliter iuſtitiam omnibus diſtribuunt, ſapientum conſilio vtuntur. Tyrannus verò leges aſpernatur, iuſtitiam irridet, à ſapientũ conſilijs abhorret.

Inter has Reip. ſpecies, Monarchia, in qua vnus tantum legitimè & ſecundum legum præſcripta dominatur, quod multò perfectius eſt, multoq. iuſtius, veluti etiam hęc vniuerſa orbis terrarum moles, vnius Dei admirabili prouidentia gubernatur, primum locum obtinet; Ariſtocratia, quippe quæ ab optimatibus regitur, ſecundum; deterrima verò ea eſt, in qua ex cenſu Magiſtratus creantur, propter innumera incommoda, quibus ſubditi populi quotidiè afficiuntur. Quare Iſocratis de Regno, ſiue Monarchia perfectè adminiſtranda ſententias poſtremo loco adijcere volui, quo Principes iuſte de regni rectè adminiſtrandi rationem quàm breuiſſime diſcant.

DE REGNO ADMINISTRANDO, EX ISOCRATIS ORATIONIBVS SELECTAE SENTENTIAE

Quæ res idiotas in officio contineant.

PRIVATOS homines permulta ſunt, quæ erudiunt, & in primis vita expers deliciarum, & quotidiana de parando victu, quaſi dimicandi neceſſitas. Deinde leges, quibus in ſuis quique ciuitatibus parere coguntur. Præterea libertas illa quoque magnam vim habet, qua palam licet & amicis reprehendere, & inimicis exagitare delicta mutua.

Reges nemo monet.

PRincipibus autem nihil eiuſmodi cótingit, ſed quos omnium maximè inſtitui conueniebat, hi mox ſuſcepto principatu ſine vllis monitoribus ætatem exigunt. Perpaucis enim ad eos patet aditus: qui verò familiariter cum eis viuunt, ad gratiam, & dicunt, & faciunt omnia.

Vtrum vita priuata regiæ dignitati præſtet.

PRincipes cum in ſua poteſtate habeant, & ampliſſimam pecuniã,& maxima negotia. propterea quod hiſce copijs, & occaſionibus abutuntur, effecere, vt multi dubitent, vtrum priuatorum hominum mediocritas,& moderatio,vitæ potentum ſit præferenda. Nam cum honores eorum & diuitias, & imperia intuentur, omnes eos dijs ſimiles eſse cenſent, qui ſoli rerum potiuntur: cum verò in memoriam ſibi reuocant metus,& pericula,& ordine recenſentes inueniunt, alios eſse interemptos,à quibus minimè oportebat,alios in ſuos cõiunctiſſimos delinquere coactos,alijs horum vtrumque vſu veniſse, rurſus mutata ſententia ſtatuunt,præſtare quocumque modo viuere, quam cum talibus calamitatibus vniuerſæ Aſiæ dominari.

Regni adminiſtratio ſummam prudentiam requirit.

EſT autem huius inæqualitatis, & perturbationis cauſa hæc, quod regnum tamquam ſacerdotium cuiuſlibet hominis eſse putant, quod ſummũ eſt rerum humanarum omnium, maximamq. prudentiam poſtulat.

Regum officium conſiderandum.

ARbitror equidem conſtare inter omnes, conuenire eis, vt ciuitatem & calamitatibus

tibus liberent, & eius res ſecundas tueantur, & è parua magnam efficiant. Nam cætera, quæ quotidie incidunt, horum cauſa fieri, & ad hæc referri debent.

Regem prudentia decet antecellere.

ILlud autem perſpicuum eſt, oportere eos, in quibus hæc facultas eſse debeat, & qui hiſce de rebus deliberaturi ſint, non ſocordiæ ignauiæq. eſse deditos, ſed dare operam, vt ſint alijs longè prudentiores. Extra controuerſiã enim eſt, quemadmodum animos ſuos excoluerint, talia eos regna habituros eſſe. Quare nulli pugilli tam opus eſt corpus exercere, quàm regibus animum, & ingenium. Nam celebres conuentus omnes, nullam partem conſtituunt eorum præmiorum, pro quibus vos quotidie decertatis.

Diligentia ingenia excoluntur.

HAec igitur conſiderantem te, elaborare decet, vt quantum honoribus alijs antecellis, tantum etiam virtutibus eos ſuperes: neque putes, curam, & ſtudium in alijs prodeſſe rebus, ad augendam autem virtutem & prudẽtiam, nihil habere virium: neque tantæ infelicitatis condemnes homines, vt cũ artes quaſdam ad cicurandas beſtias, & animos illarum agreſtes excolendos inuenerimus, ipſi nobis

ipſis

ipſis nihil ad virtutem adferre adiumenti queamus. Hoc potius tibi perſuadeas, inſtitutione, & cura cum primis poſſe animum noſtrum adiuuari.

Regem multa legere, & audire decet.

Proinde cum ad prudentiſſimos eorum, qui adſunt, te adiungito, tum extercrum quoſcumque poteris accerſito, tum neque celebrium Poetarum, neque Sophiſtarum quemq. incognitum prætermittito, ſed & illorum auditor eſto, & horum diſcipulus, ac ita te para, vt minorũ ſis Iudex, maiorum æmulator. Nam per has exercitationes celerrimè talis fies, qualem eſſe oportere nos conſtituimus eum, qui rectè ſit regno præfuturus, & vrbem ita vt decet adminiſtraturus.

Præſtantior imperare debet inferioribus.

Sic verò ipſe te maximè cohortabere, ſi abſurdum eſſe duxeris, deteriores imperare præſtantioribus, & ſtolidiores dare mandata prudentioribus. Nam quo vehementius aliorum inſcitiam deſpicies, eò diligentius ingenium tuum exercebis.

Præcepta generalia.

Hominum, & ciuitatis Principem amantem eſſe decet: nec enim fieri poteſt, vt vel equis, vel canibus, vel viris, vel vlli denique rei quiſquã rectè præſit, niſi delectetur ijs, quorum curam habere debet.

Qua moderatione tractandus populus.

Multitudo commendata tibi ſit, in eoque in primis tibi elaborandum putes, vt imperio tuo ciues delectentur. Notum enim eſt, & oligarchias eas, & cętera imperia eo diuturniora eſſe, quo diligentius multitudinem coluerint. Si autem bene imperabis, ſi neque vulgi petulantiæ frænos laxes, neque alios populo inſultaré patiaris: ſed in id operam dederis, vt honores, & magiſtratus ad optimos quoſque deferantur, cæteri tuti ſint ab omni iniuria. Hæc enim elemēta prima, & maxima ſunt felicis Reipublicę.

Mala inſtituta abroganda.

Mandata & inſtituta vitioſa loco moue, ac muta, maximęq. da operam, vt optimorum ſis inuentor: ſed ſi id fieri nequit, ea imitare, quæ apud alios probanda ſunt.

Leges quales eſſe debeant.

Leges quære in vniuerſum æquas, & vtiles, & inter ſe conſentientes: & præter hæc, tales, quæ controuerſias quampauciſſimas pariant, & compoſitiones quam fieri poteſt celerrimas inter ciues efficiant. Hæc enim ineſſe oportet omnia legibus bene conſtitutis.

Laboribus præmia, calumnijs ſupplicia conſtituenda, Regum ſententiæ ſint immutabiles.

Negotiationibus pręmia, controuerſijs mulctas proponito: vt & has fugiant, & illas perſequantur. De controuerſijs eorum ne ſententias feras ad gratiam, neque inter ſe cōtrarias, ſed de ijſdem quidē ſemper eadem decernito.

Nam,

Nam,& decet,& expedit Regum de iure decreta, quemadmodum bonas leges, mutari numquam.

Vrbis adminiſtratio.

Sic Vrbem adminiſtra,vt paternam domum, tum ſplendido Regeq. digno apparatu,tum ordine accurato: quo ſimul, & gloria florere, & ſumptum tolerare poſſis.

Magnificentia.

Oſtenta magnificẽtiam, nulla re magni ſumptus ſtatimq. peritura: ſed tum ijs rebus, quas iam diximus, tum elegantia poſſeſſionum,tum beneficentia in amicos. Nam quæ hoc modo inſumpſeris,ea & tibi manebũt, & poſteris tuis plures commoditates allatura ſunt, quàm pecuniæ profuſiones.

Religio.

Religionem eam ſerua, quam à maioribus accepiſti: ſed id pulcherrimum ſacrificium, & cultum eſſe maximum exiſtima, ſi ipſe te quàm optimum, & iuſtiſſimum præbeas. Maior enim ſpes eſt, Deos immortales talium vota audituros,quàm eorum, qui multas victimas proſternunt.

Honos. ſatellitium.

Primos honores coniunctiſſimis, veriſſimos, beneuolentiſſimis defer. Cuſtodiam corporis eſſe puta tutiſſimam,tum amicorum virtutem, tum ciuium beneuolentiam, tum tuam prudentiam. Hæc enim ſunt per quæ imperium facillimè, & paretur, & conſeruetur.

Sumptus moderandi.

Patrimonia priuatorũ ita curabis, vt & prodigos tua conſumere, & rei amplificandæ intentos tuas opes augere exiſtimes. Bona enim in vrbe, habitantium omnia, ad familiam pertinent Regum bene imperantium.

Veracitas.

Veritati tantum honoris omni tempore defer, vt tuis verbis maior ſit fides, quàm aliorũ iuriurando.

Hoſpitalitas.

Cum omnibus hoſpitibus vrbẽ effice tutam, & æquam in contractibus: tum eos aduenas maximi facito, non qui munera tibi aduehunt, ſed eos, qui à te accipienda putant. Ijs enim honorem ſi habueris, à cæteris magis laudaberis.

Liberalitas. Clementia.

Exime ciuibus formidinem, neque terribilis eſſe velis nihil delinquentibus. Nam quo tu eos in te eſſe animo conſuefeceris, eodem & ipſe in eos eris.

Ira, ſimulatio.

Nihil per iracundiam agito: ſed iracundiam, cum tempus poſtulat, ſimulato.

Acrimonia.

Acrimoniam tuam proba indagatione rerũ omnium, quæ geruntur: Clementiam, mitigatione ſuppliciorum.

Auctoritas. Belli, & Pacis ſtudium.

Auctoritatem imperij tuere, non ſæuitia pœnarum, ſed excellenti ſapientia: vt te ſuæ ſaluti omnes melius, quam ſemetipſos conſulere arbitrentur. Bellicoſus eſto ſcientia rei militaris, & apparatu pacificus, nihil præter ius, & æquum vendicando.

Vicinia.

Erga ciuitates imbecilliores talem te præbe, quales in te potentiores eſſe velis.

Controuerſia.

Noli de rebus quibusvis contendere, ſed de illis dumtaxat, quarum victoria tibi profutura eſt.

Victoria.

Contemnendos exiſtima, non eos, qui vtiliter ſuccumbunt, ſed qui cum damno ſuo vincunt.

Magnanimitas.

Magnanimos puta, non eos, qui maiora ſuſcipiunt, quàm ſuſtinere poſſint, ſed qui & mediocria expetunt, & quæ aggrediuntur, perficere poſſunt.

Imitatio. Beatitudo.

Aemulare, non eos, qui latiſſimè imperium propagarunt, ſed qui id, quod habent, rectiſſimè geſſerunt: teq. ab omni parte beatum fore puta; non ſi omnibus hominibus cum terroribus, & periculis imperites, ſed ſi talis ſis, qualem eſſe decet, & ſi tali rerum tuarum ſtatu, qualis nunc eſt, modiocria cupias, & horum nullo careas.

Amicitiæ.

Amicos para, non quoslibet, ſed eos qui tua natura digni ſunt: neque cum quibus iucundiſſime tempus conteras, ſed quorum opera vrbē melius gubernes.

Familiaritates.

Diligenter eos proba, quibus familiariter vteris; atque illud ſcito, quod omnes ij, qui tua conſuetudine non vtuntur, è ſodalium te moribus æſtimabunt.

Miniſtri.

Eas res, quæ per te non geruntur, ſic alijs manda, vt quicquid illi egerint, tibi acceptum referendum eſſe putes.

Fideles.

Fideles exiſtima, non eos, qui quicquid dixeris, aut feceris, laudant: ſed qui etiam errata, & delicta reprehendunt.

Libertas admonendi.

Poteſtatem da prudentibus liberè dicendi ſententias, vt ſi quibus de rebus dubitas, præſto ſint, qui illas vna tecum examinent.

Aſſentatores. Sermonum obſeruatio.

Diiudica inter eos, qui arte aſſentantur, & qui ex beneuolentia te colunt, ne improbi meliore conditione ſint, quàm boni viri. Audi quid de ſe mutuo dicant: & cognoſcere ſtude, quales, & quinam ſint, non minus eos, qui dicunt, quàm de quibus dicunt.

Calumniæ.

Iiſdem ſupplicijs affice calumniatores, quibus delinquentes.

Sibi imperare.

Impera tibi ipſi non minus, quàm & cæteris: idque maximè regium puta, ſi nulli voluptati ſeruias, ſed cupiditates magis in poteſtate habeas, quàm ciues tuos.

Familiaritas.

Nullam familiaritatem temerè, aut incogitanter contrahe: ſed ijs gaudere congreſſibus aſſueſce, qui te & ſapientia augeant, & virtutis apud alios opinione.

Virtus.

De ijs rebus tibi placere noli, quæ à malis etiam perfici poſſunt, ſed virtutem laudi tibi ducito, cuius nulla pars improbis contingere poteſt.

Veriſſimi honores.

Veriſſimos honores eos eſſe puta, non qui palam ex metu tibi habētur, ſed ſi ipſi inter ſeſe prudentiam tuam plus, quàm fortunam admirentur.

Ineptiæ tegendæ.

Si forte ita ceciderit, vt re aliqua leuiore gaudeas, diſſimula, ſed rerum maximarum ſtudium oſtenta.

Rex ſit exemplo ciuibus.

Ne alios decere putes viuere modeſtè, Reges petulanter; ſed tua temperantia fac alijs exemplo ſit: nec ignores totius ciuitatis mores ad

exemplum magiſtratuum conformari.

Signa bonæ gubernationis.

Hoc tibi argumēto ſit, te regno bene præeſſe, ſi videris ſubditos, & ditiores, & modeſtiores, ſub imperio tuo eſſe factos.

Famæ ſtudendum.

Præſtare puta, liberis tuis honeſtam famam, quàm magnas opes relinquere: nam hæ mortales ſunt, illa immortalis: fama pecuniæ quæri poſſunt, emi pecunijs fama non poteſt: opes etiam improbis contingunt; gloriam verò parare non poſſunt, niſi virtute præſtantes.

Splendor veſtium.

Splendidus eſto in veſtitu, & corporis ornatu: in alijs verò actionibus tolerans laborum, vt Reges decet; vt & ij, qui te vident, ob aſpectū te regno dignum iudicent, & familiares tui, ob animi tui robur, ijſdem aſſentiantur.

Conſideratio.

Conſidera ſemper, & dicta, & facta tua, vt in delicta quampaucißima incidas.

Ne quid nimis.

Optimum eſt ſeruare modum; ſed quoniam is facile cognoſci non poteſt, malis citra reſiſtere, quàm vltra progredi: mediocritatis enim vis, magis in eo quod parum, quàm in eo, quod nimium eſt, cernitur.

Vrbanitas grauitate temperata.

Vrbanus eſſe ſtude, & grauis, quorum hoc principatum decet, illud congreßibus eſt aptū. Sed hoc eſt rerum omnium difficillimum. Nam

eos

eos,qui grauitatem affectant,plerumque frigere: qui vrbani eſse ſtudent, nimis abijcere ſe comperies. Eſt autem vtraque hac ratione vtendum, & finitimum vtrique incommodum effugiendum.

Experientia cum ſcientia coniungenda.

Quicquid earum rerum, quæ regum cognitione digna ſunt, certò noſse vis, ad id adhibe doctrinam, & experientiam. Nam vt doctrina vias tibi oſtendet: ſic rerum gerendarum exercitatione id conſequere, vt res dextrè adminiſtres.

Euentus adhibendus in conſilium.

Cogita quæ res, & gerantur, & ferantur, tum à priuatis hominibus, tum à principibus: nam ſi præteritorum recordere, de futuris etiam rectius deliberabis.

Virtutis ſtudium.

Minime decere puta, cum priuati quidam homines mortem oppetant, vt poſt obitum laudentur, Regẽs ea ſtudia, & actiones fugere, quæ viuentibus gloriam pariant. Imagines, quæ virtutis tuæ potius, quàm quæ corporis monumenta ſunt, fac relinquas.

Honeſtas ſecuritate potior.

Operam cum primis dabis, vt & te, & Vrbẽ in tuto colloces: ſed ſi periculum adeundum ſit, honeſtę mori, quàm turpiter viuere præoptabis.

Cogita te Regem eſſe.

In omnibus tuis factis Regni memento, ne quid honore iſto indignum deſignes.

Spectanda Immortalitas.

Caue admittas, vt natura tua ſimul vniuerſa intereat: ſed cum corpus mortale tibi contigerit, animus immortalis: conare immortalem animi tui memoriam relinquere.

Sermones præclari.

Meditare de præclaris actionibus loqui: vt aſsueſcas ijs ſimilia ſentire, quæ dictitas.

Fac quæ probas.

Quæ tibi cogitanti optima videbuntur, ea re ipſa perficito.

Quorum gloriam miraris, eorum res geſtas imitare.

Quæ tuis liberis præciperes, ea ipſe facere ne graueris.

Vtere præceptis noſtris, aut tute inueni meliora.

Qui ſapientes perhibendi.

Sapientes exiſtima, non eos, qui de minutis rebus egregie dicunt: nec eos, qui alijs facilitatem pollicentur, cum ipſi multarum rerum inopia laborent, ſed eos, qui etſi mediocria de ſe profitentur, tamen & negotia dextre obire, & inter homines verſari commode poſsunt: nec in vitæ mutationibus perturbantur, ſed pulchrè, & moderatè ferre, tam ſecundas res, quã aduerſas queunt.

Con-

Conſiliarij quomodo explorandi.

Conſiliarij tum maximè, cum res præſens conſilium poſtulat, ſpectādi ſunt, repudiatis ijs, qui ambages agunt, & in genere de rebus dicunt: multòq. magis illi ſunt improbandi, qui nihil quod fieri debet intelligunt. Conſtat enim eum, qui ſibi ipſe prorſus eſt inutilis, nunquam alios facturum eſſe prudentiores. Cordatos autem homines, & eos, qui longius, quàm alij proſpicere poſsunt, magnifacito, & colito: ac perſuaſum habeto,

Bonus Conſiliarius.

Bonum conſiliarium vtiliſſimam, & Rege omnium digniſsimā eſse poſseſsionem. Illos etiam tuum regnum maxime amplificaturos credito, qui tuam mentem plurimum iuuare, & excolere poſsunt.

DE CIVIVM OFFICIO

Erga Principem.

QVISQVE ciuium, id, quod ſui officij eſt, recte, & diligenter debet adminiſtrare, nihil ex principis mandatis negligere aut contemnere, fidem erga Principem ſeruare, alienis abſtinere. Talem erga alios ſe præbere, qualem Principem erga ſe eſse poſtulat.

Non

Non debet feſtinare potius diteſcere, quàm probitatis opinionem conſequi;cum ij plurimis bonis potiantur, qui maxima virtutis gloria florent.

Iniuſta lucra haud putare debet auctura eſse diuitias, ſed periculum allatura.

Principis mandata, & ea potiſſimum, quæ in commune commodum cędunt,libentiſſimo animo exhaurienda.

Alacriter inſeruiendum,quo pluribus Principis vtilitatibus inſeruiendo,eo maiores fructus inde percipiantur.

Principis multos oculos, & aures,ac longas manus, licet corpus præſens non fuerit, adeſse putandum.

Clandeſtinæ machinationes vitandæ;cũ fieri non poſsit, quin clandeſtini conatus magnos terrores adiunctos habeant.

Simpliciter,& apertè, nõ callidè,aut occultè gerenda res publica, ne quis facile calumniari queat.

Probandæ actiones,eæq. malę putandæ,quas ignorari à Principe velit, & illę bonæ, quibus auditis Princeps ciuem probiorem iudicet.

Sceleſtiſsimi ad Principem deferendi, & ij præſertim,qui imperio inſidiantur, aut in eo ſe improbe gerũt, cum idem ſupplicium occultantibus, quod delinquentibus debeatur.

Bona conſcientia vtendum, cũm Principes delinquẽtibus meritas ſcelerum pęnas irrogẽt, bonisq. rectè factorum præmia elargiantur.

Nulla

Nulla conſilia, nullæ ſodalitates, nullæq. cõ-ſpirationes ſine Principis auctoritate inſtituendæ, cum nimium periculoſæ ſint.

Non tantum peccata, ſed etiam eiuſmodi ſtudia fugienda, quæ ſine peccati ſuſpicione eſse nequeunt.

Præſens Principis ſtatus retinendus, & defendendus, nullaq. requirenda mutatio, cum fieri non poſsit, quin per huiuſmodi tumultus, & vrbes intereant, & priuatæ domus euertantur.

Sæuitia, aut manſuetudo non tantum ingenijs dominorum tribuenda, ſed moribus etiam ciuium: nam multi, ob ſubditorum improbitatẽ, aſperius imperare, quàm vellent, ſunt coacti.

Non tam Principis clementiæ, quàm propriꝫ innocentiæ confidendum.

Principis ſecuritas, & tranquillitas exoptanda; cum, quo is tutior fuerit, & ciues ſecuriores exiſtant.

Humilitas erga imperium ſeruãda, leges obſeruãdæ, & ſplẽdor in publicis adminiſtrationibus, & Principis mandatis obeũdis adhibẽdus.

Adoleſcentes ad virtutem excitandi, non tantum præcipiendo, ſed in ipſis actionibus eis demonſtrando.

Docendi ſunt pueri parere in regia imperia, & aſsuefaciẽdi, vt in eius virtutis ſtudio potiſſimum verſentur: nam vbi parere didicerint, multo rectius imperabunt. Si fideles fuerint, & probi, bonorum Principis participes erunt; ſin improbi, ſuas opes in diſcrimen adducent.

Par-

Patribus elaborandum eſt, vt filijs, Principis beneuolentiam relinquant; nam nullæ firmiores opes legari poſſunt.

Nulli eſt fides violanda, nec amicis magis credendum, quàm inimicis.

Beati iudicandi, non opulentiſsimi, ſed nullius ſceleris ſibi conſcij.

His non eſt inuidendum, qui apud Principem proximum locum tenent, ſed contendendum, vt probitate, & virtute ijs æquari mereamur.

Amandi & honorandi ſunt, quos Princeps ſummo complectitur amore, ac magnifacit, vt eadem hæc & nobis ab eo tribuantur.

Sermones de Principe ſint quamhoneſtiſsimi, & quæ eo præſente dicuntur, eadem, cum abeſt, dicenda.

Principis beneuolentia factis magis, quam verbis oſtendatur.

Vita verbis reſpondeat.

Principis verba pro legibus habeantur. Tandem ciues erga Principem tales ſint, quales erga ſe ſubditos eſſe vellent.

Præcepta quædam, quibus Princeps maximos in via virtutis progreſſus facere, & apud alios homines vniuerſos florere gloria poſsit.

Religio.

PRIMVM igitur, quicquid ad cultum deorum immortaliũ attinet, id religioſe præſta, non ſacris modò faciendis, ſed iureiurando etiam conſeruando. Nam illud amplè pecuniæ indicium eſt, hoc morum integritatis argumentum.

Venerare numen, cum ſemper, tum verò maximè, cum ſacra publicè fiunt. Sic enim ſimul & diis immolabis, & legibus obtemperabis.

Parentes.

Talem erga parentes tuos te præbe, quales in te liberos tuos eſſe velles.

Exercitia.

Eas corporis exercitationes amplectere, quę valetudini potius, quàm quæ ad robur proſint: quod ita conſequere, ſi laborare deſinas, viribus adhuc integris, & vegetis.

Riſus.

Neque petulantem riſum ama, nec audacem orationem proba : quorum alterum ſtultitiæ eſt, alterum inſaniæ.

Sermo.

Quæ facta turpia ſunt, ne dictu quidem decora eſse puta.

Vultus.

Aſsuefac te, non toruitati, ſed ſeueritati: nam illa pertinaciæ tribuitur, hæc prudentiæ.

Adoleſcentiæ virtutes.

Perſuaſum habeto, te nihil decere magis modeſtia, verecundia, probitate, temperantia: nam his rebus omnis adoleſcentiæ diſciplina continetur.

Conſcientia, Timenda, Voluptates.

Ne quid vmquam turpè admiſeris. ſpe celandi: nam vt maxime nemo reſciſcat alius, tu ipſe tamen tibi conſcius eris. Deum time: Honora parentes. Amicos verere. Legibus obtempera. Voluptates eas ſequere, quæ gloriā pariant: nam, vt honeſta oblectatio res optima eſt, ſic turpis peſſima.

Cauenda calumnia.

Caue criminationes, etiam falſas. Vulgus enim, cum veritatem ignoret, opinione ducitur.

Lux amanda.

Quicquid egeris, palam fore omnibus credito. Etſi enim quippiam in præſentia celaris, poſt tamen innoteſcet.

Via ad gloriam.

Gloriam ſic faciliimè conſequeris, ſi ipſe non feceris ea, quæ ab alijs facta reprehenderes.

Diſcendi ratio.

Doctrinæ ſtudium pariet tibi doctrinę copiā. Quæ ſcis, diligentia tuere: quæ non didiciſti, artium cognitione addiſcito: nec enim minus turpe eſt, vtilem orationem, cum audieris, negligere, quàm data munera repudiare.

Audiendi ſtudium vtiliſſimum.

Quicquid ocij datur, id audiendis eruditis ſermonibus conſumito. ſic enim fiet, vt quæ magnis alij laboribus inuenerunt, ea tu facile perdiſcas. Audire multa præſtare puta, quàm multum pecuniæ coegiſſe: nam hæc facile amittitur, illa numq. deſerunt. ſolius enim ſapientiæ poſſeſſio eſt immortalis.

Ne te pigeat lōgam viam ad eos ire, qui vtilem aliquam doctrinam pollicentur: nam cum mercatores rei familiaris augendæ ſtudio tanta maria tranſeant: turpe fuerit adoleſcentes excolendi ingenij cauſa, nec terreſtre iter vello ſuſcipere.

Affabilitas.

Moribus tuis adſit affabilitas, verbis vrbanitas. Eſt autem affabilitatis, ſalutare obuios: vrbanitatis, cum eis familiariter colloqui.

Familiaritas.

Comis in omnes eris, ſed optimorum familiaritate vtere: ſic enim illorum inimicitias vitabis: horum tibi amicitiam conciliabis.

Cauendum faſtidium.

Ne ſępius eoſdem ijſdem de rebus,neque verboſius alloquaris, eſt enim rerum omnium ſatietas.

Labores ſpontanei.

Exerce te voluntarijs laboribus,vt etiam neceſſarios perferre poſſis.

Quo pacto ſit affectibus imperandum.

Dabis operam, vt rebus omnibus imperes, quibus animum ſeruire turpe eſt: cuiuſmodi ſunt, lucrum, ira, voluptas, dolor. Hæc autem ita conſequere, ſi ea in lucro deputes, quæ gloriam potius, quàm quæ opes augeant: in ira, ſi talem te præbeas alijs,quales in te delinquentem alios eſſe velles: in oblectationibus,ſi turpe ducas ſeruis dominari,voluptatibus ſeruire: in rebus moleſtis,ſi calamitates aliorum inſpexeris, & te hominem eſſe cogitaris.

Taciturnitas.

Diligentius tuere depoſita verborum, quàm pecuniarum: nam boni viri eſt ita ſe gerere,vt eius mores plus fidei, quàm aliorum declarationes mereantur.

Cui credendum.

Quemadmodum improbis diffidendum, ſic bonis habendam eſſe fidem ducito.

Arcana.

Ne cui arcana tua credas, niſi res illas taceri,non minus ijs,qui audiunt, quàm dicenti tibi expediat.

Iuſiu-

Iuſiurandum.

Iuſiurandum ſi poſtulabitur, duabus de cauſis dabis: vel vt temetipſum turpi crimine liberes, vel vt amicos è periculis eripias. Pecuniæ verò cauſa nullius Dei numen iures, etiam ſi liquidò id facere poſſis: ne alijs periurus, alijs auarus eſſe videaris.

Præcepta de amicitia, tum ineunda, tum explorãda, tum conſeruanda.

Amicitiam cum nemine iungito, priuſquam exploraueris, quomodo prioribus amicis fuerit vſus. Sperabis enim eum in te quoque fore talem, qualem erga illos ſe præbuit.

Amicitiam tardè incipito, cœptam tuere diligenter. Nullos enim habere amicos æque turpe eſt, ac ſubinde mutare ſodalitates.

Neque cum damno fidem amicorum explorare, neque ſodalium omnes ignorare velis: eius rei commodiſſima via erit, ſi te ſimularis egere, cum non eges.

In conſilium item eos adhibe de rebus, quas vulgari nihil refert, perinde ac ſi arcana ſint: nã & fruſtatio periculi erit expers, & adeptio, quibus ſint moribus, apertius oſtendet.

Amicos, tum in iactura opum, tum in ſocietate periculorum cognoſces: nam vt aurum igni probatur, ſic amicorum fides in rebus aduerſis perſpicitur.

Sic autem rectiſſime tractabis amicos, ſi non expectes dum te rogent, ſed vltro, cum tempus poſtulat, eis opem feras.

Non minus flagitioſum eſſe puta,vinci beneficijs amicorum, quàm maleficijs inimicorum. Eos amicos proba , qui non tantum malis tuis doleant,ſed qui etiam bonis tuis non inuideant. Multi enim vicem amicorum in rebus aduerſis dolent, & ijſdem in rebus ſecundis inuident.

De abſentibus amicis mentionem fac apud præſentes , vt ij putent te ſui quoque,vbi diceſſerint, non forè immemorem.

Veſtitus.

In veſtitu ſtudebis mundus eſſe,non ornatus. Arguit enim mundities grauitatem , ornatus luxum.

Diuitiarum vſus.

Omnem diuitiarum fructum , non in magnitudine opum , ſed in moderato vſu rei familiaris eſſe poſitum exiſtima.

Eos,qui diuitias augere ſtudent , cum partis vti neſciant,contemnito : nam id perinde eſt,ac ſi quis bonum equum emat , equitandi male peritus .

Ama bonorum, quæ tibi contigerunt,nō immenſam poſſeſſionem, ſed moderatum vſum .

Dabis operam, vt diuitiæ tibi ſint vtiles , & obnoxiæ . Sunt autem ijs,qui frui ſciunt,vtiles : ijs,qui vti poſſunt, obnoxiæ .

Quæ facultates tibi ſunt, eas duabus de cauſis magnifacito : tum vt magnam mulctam ſoluere : tum vt honeſto amico , quem vrgeat infortunium, ſubuenire queas .

Aequus, & impiger animus.

In reliqua vita non ſupramodum eas diligito, ſed mediocriter.

Nemini exprobranda calamitas.

Præſenti ſtatu contentus eſto, ſed res quærito meliores.

Nemini calamitatem exprobres: nam fortuna communis eſt, vt futura non cernuntur.

Beneficentia.

Bonis benefacito. Præclarus enim theſaurus eſt, beneficium in bonum virum collatum.

Quod ſi de malis bene mereberis, idem tibi vſuveniet, quod ijs, qui canes alienos paſcunt: nã & hi æque allatrant eos, qui dãt, quam quoſlibet & improbi tàm eos qui iuuant, quàm qui nocẽt violant.

Aſſentatio.

Aſſentatores non minus odiſſe debes, quàm impoſtores: nam vtrique lædunt eos, qui fidem ipſis habent.

Si eos amicos complecteris, qui tibi nequiſſimis in rebus gratificantur, nulli erunt, qui tuũ odium in vitæ conſuetudine, propter res optimas ſuſcipere velint.

Quo pacto ſine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Humanus in eos eſto, qui te conueniunt, non faſtidioſus: nam faſtidium, & tumorem vel ſerui dominorum vix ſuſtinuerint: at humanitas, grata, & iucunda eſt omnibus. Hæc autem ſunt humanitatis officia, non eſſe rixoſum, non moroſum, non contẽdere contra omnia, non aſpere

familiarium iras excipere, tametſi nulla iuſta de cauſa iraſcantur:(cedendum quidem illis eſt, dum commoti ſunt, ac tum demum, vbi deferbuerit ira, ſunt obiurgandi.) non in ridiculis ferias res agere, non in rebus ſerijs, nugis gaudere: (nam omnia intempeſtiua ſunt moleſta;) non cum moleſtia conferre beneficium; (quo vitio vulgus hominum laborat, qui & ſi obſequuntur, grauatim tamen dant operam amicis, non exquirere conquerẽdi cauſas; (graue enim eſt) non ad reprehendendum propendere, quod iracundiam extimulat.

Conuiuia citra ebrietatem.

Compotationum ſodalitates vitare conſultiſſimum certè fuerit, ſed ſi quando caſus eò te detulerit, ante ebrietatem ſurgito. Cum enim vino mens obruitur, idē quod curribus ei euenit, è quibus aurigæ ſunt excuſſi: nam vt hi temerè ferunt, carentes gubernationibus, ſic animus in multa delicta impellitur, ratione ſubuerſa.

Magnanimitas.

Magnanimus eſto: vt immortalis, re familiari moderate fruere, vt mortalis.

Modeſtia petulantiæ præſtat.

Quantum petulantiæ modeſtia præſtet, ex eo perſpicies, quod omnes è ceteris improbe factis fructum aliquem capiunt, illa verò ſola detrimentum etiam iniungit. nam ſæpenumerò fit, vt iſti, ſi quem offendere verbis, re ipſa graues pœnas luant.

Laudatio amicitiæ conciliatrix.

Cum quibus amicitiam tibi conſtitutam eſſe vis, de ijs honorificè loquitor, ijs audientibus, qui renunciaturi ſunt. Vt enim amicitiæ laudatio, ſic inimicitiarũ vituperatio principium eſt.

Conſilij capiendi deliberatio qualis eſſe debeat.

In deliberando, rerum futurarum è præteritis exempla petes: nam quæ obſcura ſunt, è manifeſtis facillimè dijudicantur.

Diu delibera, ſed quæ viſa fuerint, celeriter exequere.

Exiſtima, nihil à Dijs immortalibus tribui poſſe melius proſpera fortuna; à nobis ipſis ſapienti conſilio.

Quibus de rebus apertè profiteri vereberis, & tamen cum amicis aliquibus communicare cupies, ſic orationem inſtituito, quaſi res aliena ſit; nam eo pacto, & quid ipſi cenſeant, cognoſces, nec tute prodes.

Sed cum ab aliquo conſilium in tuis negotijs expetes, conſiderabis in primis, quomodo res ſuas ipſe adminiſtrarit. nã qui ſuis negotijs incõſultus eſt, nũq̃ de alienis melius deliberabit.

Sic autem curę tuę acuentur, vt bene mediteris omnia, ſi cogitaris, quæ damna temeritatem ſequantur; nam valetudinem quoque tum diligentiſſime curamus, cum ægrotationum moleſtias in memoriam reuocamus.

Rex imitandus.

Regum mores imitare, & ad eorum ſtudia te confer; ſic enim eos, & probare, & æmulari te putabunt.

tabunt. vnde hunc fructum capies, vt & apud multitudinem gloria floreas, & illorum beneuolentiam erga te confirmes.

Legibus,quæ feruntur à Regibus, & ipſis obtempera; ſed voluntatem tamen eorum firmiſſimam eſſe legem ducito. quemadmodum enim in Repub. populari degenti multitudo colenda eſt, ſic eum, qui in imperio regio conſedit, Regem admirari oportet.

Quo pacto gerendi magiſtratus.

Delectus ad magiſtratũ, nullius improbi miniſterio in obeũdis negotijs vtitur: nã quicquid ille deliquerit, id tibi imputabitur.

Aduocationes, & Patrocinia.

A publicis functionibus diſcede, non locupletior, ſed laudatior; laus enim multitudinis magnis opibus eſt præferenda. Nullius improbi negotij, vel adiutor, vel patronus eſſe velis; nã & ipſa talia putaberis agere, qualia perpetrata à cæteris defendes.

Aequalitas ſeruanda.

Sic te para, vt alijs plus poſſis, & æquo tñ iure cũ cęteris viuito: vt te iuſtitiã colere appareat, non ex imbecillitate, ſed propter æquitatem.

Honeſta paupertas iniuſtis opibus potior.

Paupertatẽ cum iuſtitia coniunctam opibus male partis præfer. nã cum diuitiæ viuentibus tantũ proſint, iuſtitia, quæ etiã poſt obitum gloriã parit, longè vtiq. præſtantior eſt habẽda: illę perditis etiam hominibus contingunt: hanc improbi conſequi nullo modo poſſunt.

Nemi-

Nemině eorum, q lucris iniuſtis diteſcunt, æmulare: ſed eos pluris facito, q in iuſtitię ſtudio incōmodis afficiuntur: nā iuſti, vt nulla re alia iniuſtis præſtent, ſpe certè fruuntur meliore.

Mens in primis excolenda.

Cum omnium rerum, quæ ad vitam degendā attinent, curam ſuſcipito, tum ingenium, vel maxime exerceto; maxima enim res in re minima, eſt bona mens in corpore humano.

Corpus laborum ſit tolerans.

Da operam, vt corpore ſis laborioſus, animo faſtidioſus: vt altero perficere queas quæ decreueris, altero conducibilia proſpicias.

Lingua ne rationi anteuertat.

Quicquid acturus es, prius cum animo tuo reputa; multi enim ſunt, quorum cogitationi lingua anteuertit.

Viciſſitudo rerum omnium.

Exiſtima, nihil rerum humanarum eſſe firmū: ſic fiet, vt nec in rebus ſecundis lætitia exultes, nec in aduerſis conſterneris.

Duo loquendi tempora.

Duo loquendi tempora conſtitue, vnum de rebus tibi planè cognitis: alterum de ijs, quæ dicenda neceſſario ſunt. In his enim ſolis taciturnitati prę ſtat oratio: aliàs verò tacere ſatius eſt, quam loqui.

Celandæ res, tam ſecundæ, quàm aduerſæ.

Et gaudere debes proſperis ſucceſſibus, & moderatè ferre dolorē calamitatum. ſed vtraq. tege ac diſſimula; cum enim domi opes noſtras

ſtras occultemus, abſurdum fuerit obambulare ſic, vt animi affectiones omnibus pateant.

Probra magis timenda quàm pericula.

Magis caue reprehenſionē, quam periculum: nam vt improbis hominibus formidoloſus vitę finis eſſe debet: ſic bonis viris vita ignominioſa. Sūmo ſtudio elabora, vt in tuto viuere queas; ſed ſi quando tempus inciderit, vt pericula ſint adeunda, incolumis è bello euadere ſtude cum laude, & gloria, nō cum infamia, & dedecore: nā fatali neceſſitate, quaſi lata ſententia, moriendum eſt omnibus; ſed honeſte oppetere, natura peculiare præſtantium virorum eſſe voluit.

Sola virtus ſolidas, & diuturnas voluptates parit.

Maximè autem incitaberis ad ſtudium honeſtarum rerum, ſi animaduertes, eas veriſſimarum voluptatum eſſe procreatrices: nam in ſocordiæ, luxuriæq. amore, moleſtiæ ſtatim adhęreſcunt. At qui virtutem induſtria ſibi cōparāt, vitamq. ſobriè prudenterq. inſtituunt, ij ſemper oblectationes ſinceras, & conſtantiores adipiſcuntur; illic primum gauiſi, tandē dolemus; hic, poſt moleſtias, voluptate perfundimur.

Illuſtribus hominibus neceſſe eſt virtuti dare operā.

Cogitabis autem, licere improbis, & abiectis hominibus quiduis agere (nam tale ſtatim initio vitę ſuę fundamentum iecerunt,) at bonis, & honeſtis virtutem negligere conceſſum non eſt; aut fieri certè non poteſt, quin à multis reprehendantur.

INDEX

INDEX EORVM QVAE HOC LIBRO CONTINENTVR.

Genera cauſarum ex auditorũ numero tria tantum. 1
In vnoquoque genere duo fines. 2
Finis generis demonſtratiui honeſtas. ibid.
Finis generis deliberatiui vtilitas. 3
Finis generis iudicialis æquitas. ibid.
Demonſtratiuum genus, tempus præſens, deliberatiuũ futurum, iudiciale præteritum ſpectat. ibid.
Quid genus demonſtratiuum. 4
Generi demonſtratiuo varia ſunt impoſita nomina. 5
Genus demonſtratiuum laudatiuum potius, quàm vituperatiuum dicitur. ibid.
Cur excogitatum ſit. ibid.
Cur generi demonſtratiuo tempus præſens cõpetat. 6
Genus demonſtratiuum in omnia tempora poteſt diffundi. ibid.
Quid laus, quid laudatio. 7
Encomiorum genera ad duo capita referuntur. ibid.
De Panegyricis orationibus, quidue ſit Panegyris. 8
De Dei laudatione. 11
Duobus modis poteſt Deus laudari. 12
De hominis laudatione. 15
Bonorum genera quatuor. ibid.
De felicitate. 16
De nobilitate publica. 17
De nobilitate priuata. 18

De

De Amicitia. 21
Quid amicus, qui dicendi amici, & qui ad amicitiam apti. 25
Senes, & ſeueri ad amicitiam contrahendam non ſunt apti. 26
Iuuenes aptiſſimi. 27
Diuitiarum partes ſex. 28
De bonis quæ ſunt in corpore. 31
A bona valetudine quomodo laus ducatur. 33
A diuitijs quomodo laus ducatur. 28
Ab amicitia quomodo laus ducatur. 27
A multitudine liberorum quomodo laus ducatur. 30
Pulchritudinis genera duo. 33
Quare pulchrum, honeſtum, & amabile. ibid.
Secūdū ætates pulchritudinis ſpecies diſtinguūtur. 34
In quo conſiſtant vires, & robur certandi. 35
Quot requirantur ad decertandi robur. ibid.
Quæ in ſenectute deſiderantur. ibid.
De præceptis vitæ proroganda. 36
De bonis animi. 37
De ſingulis virtutibus. 38
Iuſtitiæ ſex ſunt formæ. 39
De Temperantia. 42
Præcepta de Temperantia. 45
De Prudentia. 46.47
De Prudentiæ præceptis. 47
De fortitudine. 49
In quo conſiſtat vis fortitudinis. 49
In quo conſiſtat fortitudinis actio. 50
Quid ſit fortitudo. 51
Fortitudinis genera quot. 52
Quid liberalitas. ibid.
Quid Magnanimitas. 53
Quid Magnificentia. ibid.
A diſciplinis laus. 54

Quot ſint artes humanæ. 54
A ſtudio equorum. 55
A venatione. ibid.
Ab armis. ibid.
Laus à rebus diuinis. ibid.
Laus à verecundia. ibid.
De bonis animi externis. 57
Bona animi ſunt in triplici genere. ibid.
De Gloria. ibid.
Quomodo concitatur perfecta gloria. 57
Quomodo acquiratur fides. ibid.
Bona exiſtimatio diuitijs præferenda. ibid.
De Honore. 58
Qualia ſint beneficia, quæ honorẽ promereãtur. 58.59
De partibus honoris. 60.61
Quid ſit Proſperitas. 64
Quomodo ducatur laus à fortuna. 65
Quid inuidia. 66
Quid æmulatio. 67
Quid odium. 68
Quomodo inter ſe differant. ibid.
Quibus rebus concitetur inuidia. ibid.
Aemulatio in quos cadat. 68
De amplificatione. 69
De collocatione. 73
De Vrbium laudatione. 76
De rerum laudatione. 79
De Deliberatione. 81
Deliberatio de ijs eſt tantum rebus, quæ ſunt in hominum poteſtate. 81
Contentio vtilis cum honeſto deliberationes facit. 83
Quinque ſunt res maximę, de quibus ſolet eſſe deliberatio. ibid.
Conſulturus de vectigalibus, de Bello & pace, de Regionis cuſtodia, de Annona, quid ſcire debeat. 84

Quid

Quid ſit deliberationis finis. 86
Vtilitas in diſcernendis bonis, vel malis verſatur. 87
Quid bonum ſit. 87
Quid ſit propter ſe, & per ſe expetere. 88
In conſilio dando, qui deliberant videndum eſt. 89
Hominum genera duo, indoctum & agreſte, alterum expolitum & humanum. 90
De eo qui ſuadet. 90
Quæ à ſuaſore videnda ſunt. 91
Voluptates ſpecie differunt. 94
De diſſuaſore. 95
In diſſuadendo quæ proponenda. ibid.
In ſuadendo, & diſſuadendo exemplis res confirmandæ. 97
Exemplorum duo genera. ibid.
In deliberando mouendi animi. 98
In mouendis animis quæ quærenda. ibid.
Interdum animi reprimendi. 99
In peroratione, quæ honeſta, quæ vtilia, quæ neceſſaria erunt amplificanda. 99
Quid ſit genus iudiciale. 100
Quid contineat. ibid.
Qui ſit finis generis, & motus. 100
Quid ſit æquitas. ibid.
Quomodo æquitas differat à iuſtitia. ibid.
Quid ſit Accuſator. 101
Quid Defenſor. ibid.
De ſtatu quid ſit. ibid.
De vnaquaque re tria quæri ſolent. ibid.
Status ſunt tres. 102. 103
Quid ſit ſtatus coniecturalis. 103
Coniectura quibus modis confirmetur. ibid.
Quæ ſint veriſimilia, probabilia, & propriæ rerum notæ. ibid.
In coniecturali ſtatu, quæ ſpectanda. ibid.

Exem-

Exempla coniecturalis ſtatus. 106
De ſtatu definitiuo. 107
Quid ſit definitiua conſtitutio. 107
Quid ſit definitio. ibid.
Quomodo differat definitio ab Etymologia, & deſcriptione. ibid.
Definitio ex quibus conſtet. 107
Duobus modis fit oratoria definitio. 108
Definitiones, quæ ex genere & proprietate conſtituuntur multæ ſunt. ibid.
In definitiuis controuerſiis, deſcriptio, enumeratio cōſequentium, & vocabuli explicatio multum valent. 109
Ex quibus fiat deſcriptio. ibid.
Ex quibus fiat enumeratio conſequentium. ibid.
Nominis explicatio, quomodo fiat. ibid.
De ſtatu iuridiciali. 101
Quid ſit iuridicialis conſtitutio. ibid.
Quibus nominibus appelletur. ibid.
Iuridicialis conſtitutionis partes duæ. ibid.
Quid ſit pars abſoluta; quid aſſumptiua. ibid.
De Accuſatore. 102
Quæ conſideranda accuſatori. ibid.
Quid cauſa, quidue euentus. ibid.
De collocatione accuſatoris. 117
De defenſore. 118
De collocatione defenſoris. 121
De officio Oratoris. 121
Quid interſit inter officium & finem. 122
De Materia. 123
De Quæſtione. 125
Qualis, & quid ſit Orator. 126
De partibus Oratoris, 127
De partibus orationis. 128
Quid ſit vnaquaque harum partiū. 129

Qualia debeant eſſe exordia.	131
De præcipuo munere exordij	130
De Procemijs generis iudicialis & deliberatiui.	133
De Narratione.	134
Qualis debeat eſſe narratio.	134
De confirmatione.	136
De peroratione.	139
De quadruplici Reipub. ſtatu.	139

F I N I S.

Laus Deo Deiparæq. Virgini, & S. Franciſco.

Imprimatur, ſi placet R. P. Magiſtro Sacri Palatij. B. Gypſius pro Viceſger.

Imprimatur. F. Angelus Baronius Venetus, Magiſter, & Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij Socius, ordinis Prædicatorũ.

BIBLIOTECA